

AB

155003

11. 00

alte Nr. 424.

Tenatorius, Th.

in 6 weiterschritten

K. VII. 84.

FIDELIS

ADMONITIO DE SA-

CROSANCTO IESV CHRISTI TESTA-

mento incorrupto, ac in suo nativo sensu, con-

tra omnes imposturas & So-

phismata hominum.

PER MATTHIAM

FLACIVM ILLYRICVM.

Galat. 3.

Fratres secundum hominem dico. Hominis licet Testa-
mentum, tamen, si sit comprobatum, nemo reijcit aut
addit aliquid. Multo ergo minus licet Testamentum fi-
lij Dei humanis additamentis pervertere.

Omnis qui sumit corpus Domini indignè, iudicium &
exitium sibi met sumit. Sed omnis non credens Christo di-
centi, Hoc, hoc est corpus & sanguis meus, sumit indig-
ne. Igitur sibi met in exitium.

M. D. LXIII.

ELIENS

APRIL 10 DE 84

CONCORDIA

MAI 10 DE 84

CONCORDIA

CONCORDIA

CONCORDIA

CONCORDIA



FIDELIS ADMONI

TIO DE SACROSANCTO IESU CHRI

sti Testamento incorrupto, ac in suo natiuo sensu, contra omnes imposturas & Sophismata hominum retinendo.

Optima fortunatissimaq; arma semper sunt contra Satanam, seductores & errores, ea, quæ nobis ipsemet spiritus sanctus commonstrauit, nempe, primùm fides constantissimè Deo credens & adhaerens, contemptis omnibus iaculis aut telis sophismatum, & tentationum: Deinde uerbum Dei, quòd est gladius ille penetrantissimus. Quare & hodie, cum efficax illusio, per quorundam hominum acutissima ingenia, eximiam eruditionem, & uerè persuasibilia, uerba εὐλογίας & χρυσολογίας, tum contra alia sana dogmata, tum & contra genuinum sensum Testamenti Christi, & contra ueram sacramentalemq; præsentiam corporis & sanguinis ipsius, grassetur, nihil fuerit simplici sinceroq; Christiano tutius ac consultius, quàm primum filio Dei (qui solus est uia, ueritas, & uita) clarè affirmanti, HOC EST Corpus meum, HIC EST sanguis meus, constantissimè totoq; pectore assentiri: Deinde hunc uerbi eius ancipitem acutissimumq; gladium, sine intermissione in eorum oculos & corda uibrare.

A

2

Aduer

Aduersarij quidem id unice summoq; studio agunt, ut deuitato, aut etiam nobis penitus è manibus excusso hoc felici Spiritus S. scuto ac gladio, secum nos abripiant ad alias obscuriores, aut etiam peregrinas, philosophicasq; materias, ut ad ueteris Testamenti dubios typos, figuras ac umbras, ad quasdam rariores phrasas, ad cœlum crystallinum & habitacula cœlestia contemplanda, ad dexteram Dei perquirendam, & circumscribendam, ad perscrutandam naturam corporis phisici, ad dimensionem corporum, ad localitatem & ubiuitatem, & alias obscuras, phisicas & mathematicas disceptationes. Quos si derelicto clariss: Domini testamento sequeris, tam dulcè tibi canent, tam uarias Philosophorum pithanologias afferent, tam multa absurda ex uerbis Testamenti Christi sequi (cooperante illis contra te, iam spiritualibus armis destitutum, spirituali illusionis efficacia) tibi persuadebunt, ut tandem ueluti incantatus & fascinatus, eis assentiare, nulla prorsus habita ratione, quid filius Dei asserat aut neget.

Sic sanè Schuuenckfeldius clarè solitus est scribere, quòd, qui uelit ueram fidem ac sententiam de cœna Domini cognoscere, debeat seponere ex oculis uerba Christi, & alia quaedam, quæ ipse proponit, expendere ac sequi. At tu ô homo Dei, memor cœlestis præcepti, Hunc audite. Et, Oues meæ uocem meam audiunt. Et, si quis sermonem meum seruauerit, ueniemus ad eum, &c. ac similia uiuentis Dei mandatorum, audi & firmiter crede uocem unici Pastoris tui, filij Dei dicentis: HOC,
hoc

hoc EST Corpus meum, HIC, hic EST Sanguis meus.
Quod, quod, & qui, qui pro genere humano traditur,
ac funditur.

Quo autem clarius sacrosanctum filij Dei Testa-
mentum intelligere, ei adherere, & omnibus inferorum
portis obijcere possis, ante oculos tibi illud in breui li-
bello, ueluti uerè septemplicem inuictumq; ueritatis ani-
mæ, ac salutis tuæ scutum ita depingam, ut primò ipsa
uerba Christi, secundò eorum quandam illustrationem
aut confirmationem, postremò etiam contrariarum nu-
garum aut sophismatum confutationem proponam.

VERBA INSTITVTIONIS SACRA-
menti Corporis & Sanguinis Domini, ex Euange-
stis & Paulo bona fide desumpta.

VESCENTIBVS AVTEM EIS, AC-
cepit Iesus Panem, & cum egisset gratias, fregit
deditq; discipulis & ait: ACCIPITE & comedi-
te, HOC EST CORPVS MEVM: Habes essentiam Sacra-
menti, sequitur iam eius fructus. QVOD PRO VOBIS
TRADITVR. HOC facite in mei commemorationem.

ET ACCEPTO POCVLO, GRATI-
isq; actus, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes,
HIC EST SANGVIS MEVS, noui Testamenti.
Habes essentiam Sacramenti, sequitur fructus. QVI
PRO VOBIS EFFVNDITVR in remissionem peccato-
rum. HOC facite, quotiescunq; biberitis, in mei comme-

A 3 moratio

morationem. Quotiescunq; enim comederitis panem
hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annuncia-
te donec uenerit.

Hoc sacrosanctum Testamentum Domini ac ser-
uatoris tui, pie lector fidelissime constantissime-
que prorsus inuiolatum retine, & aduersariis
Iubinde in oculos, cor, & conscientiam legendum obtru-
de. Sic tu & illos confundes & hereditatem Domini
tui adibis: Nec cum peruersoribus eius, tibi met iudiciũ,
as exiliũ ex eo percipies, ut autem id adhuc commodius
facere possis, quandam eiusdem illustrationem adiciã.

ILLVSTRATIO TESTAMENTI AVT CONFIRMATIO VERITATIS.

Ad intelligendum genuinum sensum, cum aliorũ
scriptorum ac dictorum, tum etiam huius sacro-
sancti Testamenti ac Sacramenti Christi, ualde
utile est, recte distribuere ac considerare membra aut
partes eius, ut unumquodq; suo loco, quærat, sicut et-
iam suo loco à sanæ mentis scriptoribus singula poni so-
lent ac debent.

Sunt ergo duæ primariæ partes huius institutionis,
sicut & Sacramenti ipsius. Sicut enim in omnibus rebus
aliud est essentia alicuius rei, aliud effectus fructus aut
finis, sic & hic. Multi sunt participes essentiæ Sacra-
menti sine eius uero fructu: Aliqui etiam contra perci-
piunt fructum sine eius essentia, præsertim in aliqua ne-
cessitate & impossibilitate.

Præmissa

Primum igitur essentia, & quasi corpus Sacramenti *Essentia*
constituitur, dum indicatur, quid à Christo detur, &
quid accipiatur, comedatur, aut bibatur, nempe, panis
& uinum, uerum corpus, & uerus sanguis Christi. Deinde *Fructus.*
de finis, effectus, fructus aut utilitas huius Sacramenti
commonstratur, ad quem finem utilitatem aut commo-
dum istud Sacramentum instituatur, Nempe, in remissio-
nem peccatorum, ut uidelicet, tum uera fide, tum etiam
docendo, passionis ac meriti Christi recordemur, illudq;
nobis applicemus, & per id saluemur. Essentia Sacra-
menti describitur, usq; ad illa uerba, quod & qui pro
uobis: Sed usus, fructus aut utilitas ab illis uerbis, quod
& qui porrò usq; in finem institutionis.

Aduersarij enim mira astutia in priori quidem par-
te, ubi de essentia Sacramenti agitur, ualdè multa de uti-
litate, deq; figurato corpore, eiusq; spiritali Esu iacti-
tant, ut sic incautum auditorem, illustri quadam specie
utilitatis, à consideratione essentiae Sacramenti, tan-
quàm re minus frugifera, ad spirituales fructus abdu-
cant. Postea autem ubi ad alteram partem uentum est,
nempe ad spirituales fructus Sacramenti huius, ibi de-
nuo nequiter ea ipsa adimunt, quæ prius dederant, di-
centes, spiritalia beneficia & cœlestia bona, non esse
ad terrena elementa alliganda. Tu uirò illas duas par-
tes (ut dixi) summa diligentia distingue, nec ullo mo-
do confundi patiare. Sic eris ab eorum imposturis
tutus.

Considera etiam originem huius Testamenti aut fœ-
deris,

deris, id est uetera Dei fœdera. Nam sic solebat olim ante Christum sanciri fœdus, ut eiusdem uictimæ sanguis & Deo offerretur, & in populum spargeretur. Sicut & ipsa uerba illorum fœderum prorsus cum nouo Testamento conuenientia, Heb. 9. recitantur: τοῦ τοῦ αἵματός τῆς θυσίας, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεός. Hic est sanguis Testamenti, quod Deus mandauit erga uos &c. Quare & hic in nouo Testamento, aut fœdere sanciendo, aut repetendo, de eodem sanguine aut Etima, quæ Deo est oblata, nobis quoq; fœdus per hanc uictimam facientibus datur, non de alia re. Sicut semper in fœderibus faciendis utraq; pars de eadem uictima participare solita est.

Quam utriusq; partis de eadem mediatrice & fœderali uictima participationem passim Spi. S. in recitatione Testamenti Christi inculcat, affirmans hoc corpus & sanguinem non tantum nobis dari ad comedendum & bibendum, sed etiam Deo pro nobis offerri.

Articuli fidei & Sacramenta proprijs uerbis proponuntur. Quare propriè non figuratè intelligenda & exponenda sunt.

Præterea quæ semel obscurè ac figuratè dixit Spiritus S. ea solet mox, aut certe alibi repetens eam sententiam, illustrare, & clarè reponere. At hic eadem uerba inculcat in tot repetitis textibus, semper affirmans ac inculcans, esse suum Sanguinem, panis fractionem uerè esse participationem corporis &c.

HOC, pronomen demonstratiuum, clarè ostendit,
de qua

de qua re Dominus loquatur, nempe de ea, quæ ad edendum & bibendum datur, non de umbris, typis, figuris, &c. Habes igitur indicatum subiectum, de quo agatur, quod fideliter retine.

EST, uerbum essentiale est, Esse, non significare, aut figurare, aut adumbrare aliquid significat. Habes hic perspicuam copulam, aut connexionem subiecti & prædicati. Audi ergo piè & crede, non impiè peruerte uocem unici pastoris & præceptoris tui, filij Dei.

CORPVS, clarè dicit, Corpus & Sanguis, non dicit figura aut meritum, signum, aut passio corporis. Habes hic clarum & perspicuum prædicatum, quod Dominus subiecto tribuit. Habes inquam primo, de quanam re sit sermo, aut Dominus loquatur, nempe de re data in cibum aut potum. Deinde quid de ea dicatur, aut affirmetur, nempe quod sit corpus Domini. Habes ergo iam totam & quidem perspicuam propositionem aut sententiam, Audi igitur & crede, non peruerte, &c.

QVOD PRO VOBIS, Audis Christiane lector, quale aut quodnam corpus detur, num figuratum, typicum, num signum aut umbra corporis. Obserua igitur, quod hic circumscribatur aut definiatur prædicatum aliquantò plenius, ne unica illa uocula sit dubia & corruptealis obnoxia. Dicit enim Dominus, se dare illud ipsum, uerum ac naturale corpus ac sanguinem, QVOD ET QUI pro uobis traditur ac effunditur. Retine ergo firmiter ista uerba, Quod pro uobis, aut hanc definitionem seu declarationem prædicati, quod Dominus rei datae tri-

A 5 buit,

buit, & plurima sopbismata aduersariorum de signis, figuris, typis ac metonymijs facile retundes. De fructu huius Sacramenti nihil iam prolixius disseram.

In alterius partis, nempe Calicis & sanguinis institutione eadem omnia argumenta aut testimonia ueritatis retine, quæ in priori monui. Et ante omnia quòd Dominus eodem modo constanter præsentiam sanguinis, sicut prius corporis inculcat, nullam sermonis figuram in prioribus diuersa expositione demonstrans aut patefaciens.

Hic est sanguis meus, noui Testamenti, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Sic habent duo Euangelistæ, Mattheus & Marcus, sensus autem est ualde perspicuus. Affirmat enim Dominus Iesus primum illud, ad bibendum datum esse suum sanguinem: Deinde dicit illum sanguinem esse noui Testamenti seu fœderis. Nam Testamentum fœdus ibi significat. Quòd etiam aduersarij concedunt. Est autem, & dicitur sanguis ille ideo sanguis noui fœderis, quia abolito pacto uetere, nouum fœdus nunc in cœna sancitur, distributione ac participatione huius sanguinis. Scimus nouum Testamentum aut fœdus inter nos & Deum sanciri, uero sanguine Christi, non umbris, typis, aut figuris.

Vt uerò ostendat eo clarius ac luculentius Dominus, quoniam sanguine nobiscum fœdus sanciat, mox affirmat, hunc sanguinem noui fœderis eundem planè esse, eum mox effundendo in cruce pro nostris peccatis: Quasi diceret, nunc quidem meo sanguine uobis ad bibendum

dum

dum in hac sacra cœna dato sancio nomine cœlestis mei
patris fœdus uobiscum: At mox eodem hoc sanguine in
cruce fuso uobis, meum cœlestem patrem placabo & re-
missionem peccatorum ac uitam æternam, impetrabo.
Hic sensus est manifestè horum filij Dei uerborum.

At quid, obsecro te Christiane frater, clarius ac cer-
tius dici, aut etiam excogitari omnino posset pro sum-
ptione corporis ac sanguinis Christi in cœna?

Lucas & Paulus paulò aliter hæc eadem uerba reci-
tant, nempe, Hoc poculum est nouum Testamentum in
meo sanguine, poculum ibi haustum aut potionem signi-
ficat, sicut & mox ibidem in Luca accipitur, cum ait,
transeat hoc poculum à me, id est hæc potio aut hau-
stio, nempe passio. Cum enim offertur poculum, offertur
haustio aut potio, non ipsum uas donatur. Cum dicit
Paulus, poculum, cui benedicimus, intelligit potionem.
Non enim Calicem, sed potionem benedicimus.

Dicunt igitur fideles testes Christi, illam haustionem
esse nouum fœdus, Et certum sanè est eam potionem ac
manducationem unà cum alijs partibus eius actionis,
aut Sacrosanctæ ceremoniæ esse non Symbolice, sed rea-
liter illam nouam pactionem, aut fœdus, quòd tunc in-
ter Deum & homines, mediante Christo, sanciebatur et
nunc à nobis quotidie renouatur.

Dicunt autem illi poculum esse fœdus in sanguine
Beth præpositio hebræis instrumentale casum significat,
item propterea Erasmus, Tigurini & Beza uerterunt
PER. sensus ergo est, quòd illud poculum aut potio sit
NOMINE

nouum fœdus per aut propter sanguinem Christi, quem unâ nobis in communionem det, non propter solum argentum aut uinum. Idem ergo est, quod alij Euangelistæ dicunt, illud ad bibendum datum, esse sanguinem noui Testamenti, seu quo nouum fœdus erga nos de eo participantis sancitur, & quod hic Paulus & Lucas dicunt, illam potionem esse nouum fœdus, per aut propter sanguinem unâ in potum datum, quo sanciatur illud. Nam quòd hoc Testamentum aut fœdus non tantum erga Deum, sed & erga nos homines dato sanguine sanciantur, postea uberius explicabitur.

Vt uero aliquis fructus ex hoc diuino fœdere haberi & ad nos peruenire possit, simulq; etiam erga Deum constabiliatur, dicit Lucas, sicut & alij Euangelistæ, quod ille sanguis mox pro eis effunditur, aut effundetur.

Ita uidemus optimè & concinnissimè, utramq; recitationem uerborum Christi inter sese inuicem conuenire, & utramq; potenter & euidenter præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna asseuerare.

Prodest autem ista uariatio recitationis uerborum ad illustrationem ueritatis ultra omnem modum. Nam cum omnino Spiritus S. statuisset uariare recitationem Testamenti saltem in hac posteriore parte, certè si in illa priore ac simpliciore, aliqua obscuritas, figura, typus aut signum latitasset, nunc eam suo perpetuo more patefecisset ille optimus dicendi docendiq; magister, ne Ecclesia Dei perniciosi erroris occasionem haberet. Verum Spiritus S. paululum uariatis uerbis, eundem
prorsus

prorsus cum priore textu sensum expressit, Quasi diceret, quoquomodo & quibuscunq; uerbis hunc textum efferam, tamen hanc scitote esse sententiam sacrosancti Testamenti. Nam ideo ac studio nonnihil diuersis uerborum formis eodem tendentibus eum recito, ut sciatis hunc esse uerum ac genuinum sensum, & nullum alium.

Expende Christiane lector hoc argumentum, & uidebis in eo esse ingens lumen ac robur ueritatis. Solemus sanè etiam in communi uita sæpè diuersis uerbis aut etiam sententijs eundem sensum exprimere ac inculcare, ut tantò certius auditor mentem nostram teneat, Sic & hic Spiritus sanctus fecit.

Illud autem in Luca ualde dignum obseruatu est, (sicut & Lutherus prius monuit) dicit, Hoc poculum est nouum Testamentum in meo sanguine, QVOD pro uobis effunditur. Dicit Lucas ipsum poculum, id est, potionem pro nobis effundi. Vnde inuicta demonstratione probatur & euincitur, illam potionem uel haustum esse non tantum solum uinum, quod certe pro nobis non effunditur, sed etiam uerum sanguinem Christi, quo nostra peccata expiantur.

Beza, ut hoc euidentissimum ueritatis argumentum eludat pro libitu diurnat, ut solent isti homines, in sacro sancto Christi Testamento, uel esse solcecismum, (Adeo illi Lucas uel potius ipsemet Spiritus sanctus est imperitus sermonis, ut ipsum illius linguam emendare oporteat), uel etiam totam illam sententiolam esse suppositiam, cum quidem fateatur, omnia exemplaria Græca & Latine

¶ Latina noua & uetera sic habere.

Sed nos omisſis eius non tantum ineptis, ſed etiam nimium audacibus, ne dicam ſacrilegis diuinationibus, liquidò hunc cognoscamus, adeò certum eſſe cum pane & uino uerum corpus & ſanguinem dari communicantibus ut Euangelista hic non dubitet dicere, illum ipſum datum cibum ac potum pro nobis crucifigi ac effundi.

Cum hiſce Lucæ aut potius Spiritus S. uerbis tribuentis ipſi potioni effuſionem pro nobis, pulchrè conuenit, quod Paulus 1. Cor. 11. corpori tribuit fractionem pro nobis: Sumpto prædicato conueniente propriè ipſi Elemento panis. Tantam igitur oſtendit Spiritus S. eſſe coniunctionem iſtorum ſubiectorum, nempe panis cum corpore, & uini cum ſanguine, ut prædicatis & quaſi proprietatib. ſuis aliquatenus promiſcue utantur. De portione enim dicitur, quòd pro nobis fundatur, & propriè eſt ſanguis, ut ſic oſtendatur, quòd in hac portione ſit uerus ſanguis, non ſolum uinum: Et uiciſſim de corpore dicitur, quòd frangatur, quòd eſt proprium panis, ut ſic mirum oſtendatur ſumma corporis Domini cum pane in hoc Sacramento connexio.

Regula Dialectica, ad conſiderationem ueritatis ad modum utilis, eſt, Quod talia ſint ſubiecta, qualia eſſe à prædicatis permittantur, Certè etiam uulgo notum eſt, prædicata aut epitheta pingere naturam ſubiectorum. Quare cum hic corpori tribuatur, quòd frangatur, quòd propriè pani, præſertim in ſacra cœna ſcriptura tribuit, neceſſe eſt ſignificari quandam cognationem

aut

aut uicinitatem panis ac corporis in hac cœna, Et uicissim, cum poculo aut potioni tribuatur, quod pro nobis effundatur, quod uerè soli sanguini Christi conuenit, necesse est ibi cum uino in ea potione etiam sanguinem Christi esse.

Obseruetur et illa concinnitas huius loci aut textus sensus uè Lucae, quod sicut antea dixerat poculum aut potionem illam esse nouum fœdus PER aut propter suum sanguinem, quem in eo fœdere sanciendo communicantibus præberet, sic et nunc idem poculum aut potionem et ob eandem causam (nempe propter præsentiam sanguinis in potum dati) dicit pro nobis effundi: Quorum utrumque non nisi uerò sanguini Christi conuenit.

Alias igitur Spiritus sanctus dicit, sanguinem esse noui Testamenti, item pro nobis effundi. Alias poculum aut potionem esse nouum Testamentum, et pro nobis effundi. Ut ista tanta subiectorum et prædicatorum alternatio aut mutua commutatio liquidò euincat, uerum corpus ac sanguinem in illa Sacramentali communionem esse. illa certè epitheta aut proprietates esse nouum Testamentum, et pro nobis effundi, non nisi uerò sanguini Christi conueniunt. Mirificam prorsus lucem ac certitudinem affert Testamento Christi uerèque eius sententiæ ista tanta concinnitas textus obseruata ac bene expensa.

Præter argumenta porrò, quæ ex ipso textu huius sacrosancti Testamenti sumuntur, quæ proculdubio optima firmissimamque sunt, considera et ea, quæ ex alijs sacramentorum literarum locis petuntur.

LOCUS

Locus 1. Cor. 10. Panis quem frangimus, si recte intelligatur, uel præcipuè nostram ueramq; sententiam exprimit ac confirmat: Verum à Beza nunc ita deprauatur ac urgetur, ut omnia alia Euangelistarum dicta inde exponi oportere contendat, eoq; tanq; præcipuo telo aut machina contra nos abutatur: Cum contrà illud adeo breue unicuq; dictū ex plenis institutionis fontibus, toties iteratis, exponendum merito sit.

Conatur autem ille Christiano lectori persuadere, eam esse dicti sententiam, tanquam Paulus dicat, ipsum panem esse communicationem aut societatem cum corpore Christi, seu (ut ille porro eam torquet) testari de societate nostra cum Christi corpore & sanguine.

Vide quàm alienum à uerbis Pauli sensum inde extorquere conetur. Paulus dicit, Est participatio: Hic autē ait, Testatur de nostra coniunctione cum Christo. At contrà nos singula eius dicti uerba aliquantò religio sius quàm illi expendamus.

Primum Paulus non simpliciter aut solum dicit, panis, sed addit quem frangimus: Loquitur ergo non tantum de solo pane per sese, sed de fractione aut esu panis: Sicut & Christus illa uerba, Hoc est corpus meum, non de ipso, ut ita dicam, ocioso pane aut uino pronunciat, sed de fracto, accepto & comeso. Valet ergo omnino idē ista uox panis, quem frangimus, ac fractio seu comestio panis & benedicta potio. Porro, quod uox *uocia* significet participationem corporis & sanguinis, præterquam quod textus ipse euidenter euincit, ut
liquido

liquido D. Tilemanus monstrauit, etiam ipsi aduersarij
subinde uel inuiti confitentur. Inquit enim Caluinus in
quodam suo libello, in nomine *λοικωvιας*; cur tantope-
re insistant, nulla est causa. PARTICIPATIONEM sig-
nificat, quid tum? Nam si inde &c.

Sensus ergo simplicissimus minimeq; uiolentus &
maximè genuinus Pauli est, quòd fractio aut esus illius
panis & benedicta potio sit ipsissima participatio aut
sumptio corporis & sanguinis Christi.

Atq; hic noster sensus loci Paulini sicut clarè ex uer-
bis eiusdem accipitur, ita etiam optimè consonat, cum
Euangelistis ac Christo, qui simpliciter de rebus in ci-
bum & potum datis dicunt: Hoc est corpus & sanguis
meus. Conuenit & cum sequentibus Pauli dictis.

Dissertissimè igitur ostendit Paulus, se uerba Chri-
sti, Hoc est corpus, Hic est sanguis, de illis ipsis rebus da-
tis & acceptis ad comedendum & bibendum, & de ue-
ro ac genuino corpore & sanguine Domini intelligere:
& affirmat illorum sumptionem esse participationem
ipsiusmet corporis ac sanguinis Domini, Non dicit, ille
panis & uinum sunt typi, figurae, signa, symbola aut um-
brae corporis, indicant & testantur de nostra societate
cum corpore Christi, & quæ alia isti uiolenter illi sacro
sancto Testamento affingunt.

Hæc profecto est arctissima connexio Elementorum
aut materiarum huius Sacramenti, nempe panis cum
corpore, & uini cum sanguine, quandoquidem unius
sumptio aut participatio est mox & alterius sumptio.

B

Que

Quæ connexio excludit omnem significationem, typum
ac figuram, aliasq; sacrosancti huius Testamenti falsam
tiones. Sed de hoc loco etiam postea aliquid clarius di-
cetur.

Expendatur autem & illud non uulgare summa di-
ligentia, tum in hisce Pauli uerbis, tum & in ipsa Te-
stamenti huius institutione, quòd separatim corpus
pani & seorsim potioni aut uino sanguis sacro ipsius te-
stimonio adiungatur. Si enim esset tantum spiritualis
quædam communio, quæ fide acciperetur, ut quidam uo-
lunt, aut si esset signum aut symbolum nostræ cum Chri-
sto coniunctionis: tum profecto superflua imò & ad fal-
lendum comparata esset illa distributa inculcatio. Nam
spiritualis communio perinde tota habetur & ex alteru-
tra parte sine omni discrimine, sicut etiam extra com-
munionem & ante hoc Sacramentum habita est.

Quare, ista quidem sententia stante, falso seorsim ad
panem corpus, & ad uinum sanguis, sacrosancti Domi-
ni ore, & eius selecti organi Pauli adiungeretur, & qua-
si alligaretur: Cum perinde uerè dici posset, hoc pocu-
lum aut potio est meum corpus ac hæc fractio panis est
sanguis meus.

Nec ego hic admodum moueor aduersariorum phy-
sics & papisticis sophismatibus, concomitantibus, ut eas
sorbonistæ uocant, & ineptis diuinationibus, Corpus
non potest esse sine sanguine, nec sanguis sine corpore,
Igitur tantum est in alterutra solum parte, quantum in
utraq; Nam Christus non frustra ista sic distribuit, &
toties

toties in scriptura seorsim inculcantur, Nec sunt hiæ
physicæ, sed Sacramentales actiones. Vbi stultè simul, ac
impiè ex physica ratiocinantur, corpus non posse esse
sine sanguine & sanguinem sine corpore. Ista sit cura
Dei, non nostra, an & quomodo alterum sine altero esse
possit.

De loco Pauli 1. Corint. 11. aliquid etiam supra dixi-
mus, cum textum institutionis expendere mus, sed nunc
propter adiuncta dicta aliquantò uberius de eodem a-
genus.

Ommino, si quis diligenter expendet uerba Pauli,
hoc & præcedenti capite, quibus tum Corinthiorum
morbum aut errantem sententiam depingit, tum &
contrarium medicamen, aut uerum sensum proponit, a-
nimaduertet illos homines uel à seductoribus persuasos,
uel etiam suis carneis oculis ipsas simplices externasq;
species panis ac uini in cœna Domini intuentes decep-
tos, planè Sacramentarios fuisse.

Videntur enim esse opinati, nihil eximij proponi aut
adesse in cœna Domini, præter panem ac uinū, nec quic-
quā minus quàm uerā exhibitionem corporis ac sangui-
nis credidisse. Quare nec ullā religiositatem ad eius sum-
ptionem requiri. Somniarunt inquam illi proponi ibi pu-
rum panem & uinum, sicut et in templis idolorū, aut eti-
am in suis domibus: Et panem esse panem, uinum uinum,
ubicunq; demum, siue in alterutro templo, siue etiam in
edibus priuatis apponatur. Licere ergo sibi utrobicq;

cum perinde eademq; ratione comedere, & nihil esse
adeo opus illos panes aut mensas discernere, nec uel se-
met, uel etiam ipsum propositum cibum dijudicare.

Quare contra Paulus clamat, Non est tantum panis
purus aut uinum in cena Domini, ut uos boni sodales
somniais, An enim nescitis? certe dudum sciuisse debuis-
setis, quod illa fractio panis sit participatio corporis ip-
siusmet Domini ac seruatoris nostri, Et illa benedicta
potio sit participatio sanguinis ipsius, Ego enim sic acce-
pi aut didici à Domino, sic etiam docui uos Corinthios,
quod Dominus Iesus dans illum panem in esum dixerit,
se dare proprium corpus, & dans uinum affirmauit, il-
lud poculum ob sanguinem unà datum esse nouum fœ-
dus, eòue sanciri illud.

Quare certo scitote, quod qui abutitur illo pane aut
uino, fiat uiolator ac reus ipsiusmet corporis & sangui-
nis Domini. Et ob hoc ipsum sibi exitium comedat
ac bibat, quia non dijudicet illud corpus ac sanguinem
Domini ab alijs prophanis panibus, poculis aut cibis.
Hic etiam abusus ac reatus tantæ rei, nempe corporis
ac sanguinis Domini, est causa cur uos diuinitus tam a-
cerbis morbis & frequentibus funeribus puniamini.

Hactenus de scopo loci Paulini, Nunc de ipso textu
ac uerbis pauca quædam adijciemus, Nam Paulus mox
post propositionem accusationis, de qua iam dixi, reci-
tat institutionem Testamenti Christi, & statim infert
inde, tanquam ex antecedente, quantū crimen patrent
abutentes hoc Sacramento, nempe quod, qui abutuntur
illo

illo pane, abutantur corpore Domini, eoq; eius rei fiant
& qui abutuntur illa portione, abutantur rei q; fiant san-
guinis Domini.

Quasi diceret, quoniam paulò ante, uos merito ac-
cusauit, quòd perinde temere uocetis cœnam Domini, si-
cut si in uestris œdibus de prophanis epulis heluaremi-
ni, Et ut uos à tanto crimine absterrem, modo ex ipsis
uerbis institutionis ostendi, Christum in sua sacrosancta
cœna non tantum purum panem ac uinum communican-
tibus proposuisse, ut fortè aliqui prophani homines ex-
terna forma decepti opinantur: Sed unà cum pane ue-
rum corpus, & cum uino sanguinem dare: Nunc facile
intelligitis id necessario sequi, quod, qui abutitur eo pa-
ne, abutatur & corpore, & qui abutitur eo uino, abuta-
tur sanguine Christi, eoq; illorum reus fiat. Quare ca-
uete uobis à tanto scelere & pœna sicut & in prece-
denti capite uos monueram, ut uideretis, quidnam age-
retis participantes de mensa Dæmoniorum simul &
Christi, quandoquidem in sacra cœna Domini non tan-
tum solo pane aut uino frueremini, ut fortè aliqui som-
niant aut externa species præ se fert: Sed fractio panis
esset communio corporis ipsiusmet Christi, & potio
aut haustio illabenedicta esset communio sanguinis eius.

Non tantum igitur uerba ipsa, Qui indigne comedit
& bibit, sit reus corporis & sanguinis Domini, admo-
dum perspicua, & quæ illius demum rei aliquis sit ac-
cusaturus reus, quam uiolat aut qua abutitur: Sed etiam
tota illa argumentatio diligenter expensa, si considere

Cur propositio accusationis, & scopus recitationis Testa-
menti coniungaturq; id antecedens cum hac conclusione
hoc ipsum efficit atq; euincit quod illi homines omnino
fuerint in Sacramentario errore, siue professione, siue
quod magis credo, potius carnali quadam opinione te-
merè ex externa propositarum rerum specie concepta,
in scitia ac negligentia in eo stertentes. Quare omnino
Paulus in eorum damnatione etiam nostri temporis Sa-
cramentarios præsertim crassiores damnasse uidetur.

Huic claræ argumentationi addit Paulus, quasi præ-
ceptum, quomodo igitur faciendum sit, ut dig-
nè sumatur corpus ac sanguis Domini, dicit oportere
eos diiudicare tum semet, tum & ipsum corpus ac san-
guinem Christi, quod cum pane ac uino sumerent, &
non perinde temere ibi conuiuandum ac in quolibet a-
lioprophano conuiuio: longissimè enim discernendum ac
dijudicandum esse corpus & sanguinem Domini, quæ
ibi proponerentur ac sumerentur ab alijs prophanis e-
pulis, quas in alijs conuiujs læti & lauti ligurirent.

Clarè ergo ac præpotenter hic quoq; præsentia cor-
poris & sanguinis Christi in illa sacrosancta cæna asse-
ritur.

Nec minus perspicuè etiam inde probatur, quod A-
postolus illis demum indignè communicantibus ob hunc
reatum minatur & indicat pœnas diuinitus infligi.
Nam si ageretur de sola spiritali communionem Christi
eiusq; meriti, quàm etiam extra & ante hoc Sacramen-
tum per fidem sumunt & semper sumpserunt p̄ij, nihil
profecto

profecto necesse fuisset, hic potissimum flagitare dijudi-
cationem corporis & sanguinis Domini, & tantum in-
dignè communicantibus tanti criminis, tantum obijcere
ac insuper etiam pœnas morborum ac mortis infligere:
Cum non soli, nec hac ratione tanto crimine sese onera-
rent, sed non credendo, idq; ex æquo omnes increduli,
inde à condito mundo.

Verùm Paulus facit hanc culpam reatus & non diju-
dicati corporis Domini, & pœnam sequentiumq; mor-
borum, ac mortis propriam illis indignè communicantibus.
Quare ibi tantum dignè aut indignè sumitur cor-
pus Christi, ubi recte dijudicatur aut non dijudicatur.

Aduersarij recentiores, qui uolunt uideri unà nobis-
cum asserere ueram præsentiam & sumptionem corpo-
ris & sanguinis Christi in cœna etiam ex Ephe. 5. eam
probare conantur, ubi dicitur quòd simus membra Chri-
sti, caro de carne, & os de osibus eius, Si is locus huc a-
pte citatur, ut isti uolunt, sequetur etiam indignorum
sumptio corporis ac sanguinis Domini. Nam & illi sunt
membra Christi, licet mortua: Sunt certè palmites in ui-
te Christo, licet infrugiferi & tandem excindendi & ex-
urendi: sunt malè pisces in eadem sagena, sunt malum se-
men in eodem agro Domini, eidem bonæ oleæ inserti
sunt, tametsi maneant oleastri, in eodem Domini conui-
uio nobiscum sunt, de eisdemq; prorsus Sacramentis no-
biscum participant, idemq; scœdus aut Testamentum no-
biscum erga Deum ineunt: Sicut & impij Israélite olim
cum pijs 1. Cor. 10.

Dilectus & intimus Domini apostolus Iohannes clare idq; repetens affirmat, Christum uenisse per aquam & Sanguinem, & mox dicit aquam & sanguinem adhuc testari in terris: Nolo hic citare authorum interpretationes, quorum plurimi de duobus Sacramentis hæc intellexerunt, inter quos & ipsemet Oecolampadius istorum sodalis fuit, expendatur modo ipse textus diligenter.

Affirmat enim Apostolus Iesum uenisse, nempe ad nos, id est nobiscum egisse, non significat hic uenire, otiosum quendam aduentum, sicut, si aliquis peregrinus homuncio in nostram ciuitatem uenisset, nihil uel boni, uel mali, nobis allaturus, aut quicquid omnino nobiscum acturus: Sed significat, accessit nos, egit, tractauit & transegit nobiscum, sicut ei proficiscenti ad nos, Pater iniunxerat & ipsemet affirmat, Iohan. 17. Se iam opus sibi à Patre iniunctum in agendo cum hominibus peregisse: Quare nunc se redire ad eum.

Venit ergo Christus, seu accessit nos, & nobiscum egit. Per quæ autem media egit? Nempe per suum sacrosanctum fœdus, quod nobiscum duobus distinctis Sacramentis percussit, in quibus & uerbum comprehenditur. Ea autem sunt Baptismus & cœna, seu, ut ea uocat Iohannes, AQVA & SANGVIS quæ quidem, si scopum finem aut fructum spectes, unicum fœdus aut Testamentum sunt. Sin formam totam actionis aut ritus, sunt duo diuersa fœdera. Per ea ergo ad nos uenit, nos accessit, nobiscum egit & transegit, in eam sententiam aut conditiones:

tioncs: Quòd ipse quidem uelit nos Patri cœlesti recon= ciliare, gratis sua passione redimere & saluare, noster= que Dominus, caput, rex & Sacerdos esse: Et nos uicis= sim cùm Patrem cœlestem pro uero Deo agnoscere & colere, tum & ipsum pro uero seruatore Domino ac ca= pite nostro agnoscere, & uenerari debeamus.

Non agitur hic propriè de ipsa essentia aut persona Christi, non etiam de beneficijs, quæ nobis confert, sed de medijs, per quæ ille nobiscum agit aut transigit. Ea autem sunt ista ipsa duo Sacramenta aut scœdera, Baptis= mus & Cœna, quorum alterum peragitur & stabilitur per AQVAM, alterum per SANGVINEM nobis distri= butum & Patri oblatum.

Indicatis igitur medijs aut scœderibus, per quæ Chri= stus ad nos uenit, id est nobiscum egit & transegit, mox Apostolus nos de usu illorum mediorum Sacramento= rum aut scœderum docet, ostendens, quidnam illa nobis adhuc commodi asserant, hoc nempe, ut testentur per= petuo in terra coram toto mundo, uenisse aliquando quendam talem Dominum ac seruatorem, qui hisce sa= crosanctis rebus ac ceremonijs, ritibus ac scœderibus cum toto mundo egerit, omnibusq; se Seruatorem obtulerit. Et hæc memorialia sui, medijsq; secum agendi post se ge= neri humano reliquerit: Reliquum igitur esse, ut qui= cunq; uelit esse saluus, uicissim uera fide per illa scœdera ac testes ad illum Dominum ac mediatorem ueniat, eiq; sese per ea adiungat, eiusq; beneficiorum semet partici= pem faciat.

Hic uerè est usus duorum Sacramentorum aut fœderum Christi, in quibus & uerbum aut promissio includitur. Quare & Christi modus ad nos ueniendi, & uerus genuinus ac proprius usus Sacramentorum, & deniq; ipsa uerba aquæ & sanguinis potenter eumcunt à Iohanne in isto dicto duo Sacramenta Christi intelligi ac proponi. Hocq; necessariò per aquam Baptismum & per sanguinem cœnam Domini accipiendam esse & ideo reuera in cœna sacrosanctû Domini sanguinem distribui.

Adiicit autem Iohannes istis duobus testibus, per quos primum Christus ad nos uenit & nobiscum transigit, etiam tertium testem nempe spiritum. Quia si per illos duos testes uenientem ad nos Christum uere admittimus. Ille mox etiam tertium in corda nostra det, qui clamet abba Pater, & testimonium præbeat spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Hoc est, quòd Iohannes dicit, qui credit in filium, habet testimonium in seipso. Et Christus, si quis sermonem meum custodierit, ueniemus ad ipsum, &c.

Huic perspicuæ ac natiuæ explicationi huius loci Iohannis pulchre astipulatur tota scriptura, præsertim doctrina de officio Christi & de natura Sacramentorum: Ante omnia autem, quòd ipsemet Christus dicit de suo sanguine in cœna dato, quòd sit sanguis noui Testamenti aut fœderis, & quòd nouum Testamentum aut fœdus fiat in sanguine aut per sanguinem. Sicut enim ibi Dominus affirmat suum sanguinem in cœna datum confirmare, sancire & constabilire illud suum fœdus nobiscum:

Ita

Ita hic Iohannes dicit sanguinem testari de Christo & eius beneficijs, ut planè sumpsisse Iohannes hoc suum testimonium de institutione Testamenti Christi uideatur, Exprimit quoq; Dominus uim testimonij in hoc Sacramento etiã illis uerbis in memoriam mei facietis, id est, ut testemini de me & mea passione sicut alibi de ministerio inquit. Eritis mihi testes, usq; ad fines terræ.

Sed sunt aliqui, qui per hasce duas uoces aquæ & sanguinis in hoc Iohannis loco, quiduis aliud potiusquam quòd uerba ipsa sonant (diuinantes ut cuiq; libet) intelligere malunt.

Quibus respondeo Spiritum sanctum ter easdem uoces repetere sine ulla uerborum mutatione, qua ergo conscientia aut fronte illi audent eius constantem assertionem eludere, & in alias quasdam res transformare? Quasi uerò Spiritus sanctus non potuisset illas ipsas res, quas isti somniant, clarè suis uocibus nominare. Profecto si hanc audaciam in peruertendis sacris literis admiserimus, quid uis potius, quàm ueram sententiam ex illis extruemus. Sed dicam etiã de una aut altera istorum interpretatione aut potius peruersione huius tã illustris loci.

Quidam igitur uolunt per sanguinem significari passionem Christi. Verùm textus repugnat. Nam Christus non uenit ad nos per passionem, quin potius ille dicit, se per passionem à nobis abire ad Patrem: Non est passio medium quoddam per quòd nobiscum agat Christus. Præterea passio non magis testatur de Christo, quàm Christus de passione. Dudum ea ex oculis memoriaque
hominum

hominum euaduit, nec est adhuc perpetuo in terris ut
testificetur de Christo: sed Sacramenta sunt talia media
ac testimonia, quæ omnibus obuia & in omnium oculos
se se ingerentia ubiq; de eo eiusq; beneficijs, usq; dum ue
nerit testantur & testabuntur.

Deniq; ij ipsi qui per sanguinem passionem Christi
intelligunt, nihilominus per aquam baptismum intellige
re coguntur, ut & hæc uox sanguinis necessario de alte
ro Sacramento intelligi debuisset. Admisso enim hic uno
Sacramento, cur alterum excluderent.

Alij, præsertim Sacramentarij torquent aquam ad
sanctificationem aut renouationem, & sanguinem ad iu
stificationem, sed non credo posse, usquam in sacris lite
ris talem harum uocum significationem reperiri. Dein
de iste sensus non conuenit huic textui, agit enim Spiri
tus Domini de rebus aut medijs, per quæ ad nos uenit
Christus, seu nobiscum agit ac transigit, non de ipsis be
nificijs, quæ ueniens affert.

Non conuenit etiam illud, quòd dicit illa adhuc esse
in terra, item testari, nam illa interna beneficia non
sunt media testantia, sed bona aut beneficia Christi, de
quibus testimonium datur. Præterea non differt reno
uatio ab inhabitatione spiritus sancti. Quare bis idem
uoce aqua & spiritus diceretur inepta tautologia aut
battologia. Deniq; quod tandem testimonium in terra
præstat, renouatio aut iustificatio? At scriptura hic a
git de publicis testibus, qui adhuc in terra quotidie com
ram omnibus testentur.

Atqui,

Atqui, dicunt illi, scriptura hic loquitur de testibus, qui in nobis sunt, Respondeo. Post hunc locum demum dicit etiam de testimonio interno. Nec tamen dicit ullū ex hisce testibus tantum intra nos testari. Possis autem referre testimonium internum ad Spiritum sanctum, qui non tantum foris coram hominibus, sed etiam intus in corde nostro de Christo testetur.

Vide autem istorum peruersitatem, quòd contrà manifestum contextum malunt locum hunc de ueteris, iam què aboliti Testamenti expiatoria aqua & sanguine intelligere ac interpretari, quàm de Sacramenti Noui, de quo tamen propriè agitur. Quare hic manifestum testimonium Ioannis Euangelistæ habemus, quod sanguis Christi uerè adsit in sacrosancta eius cæna, & illud scèdus confirmet ac testetur de Christo & eius beneficiis erga nos.

Credo autem ideo eo libentius inculcare Iohannem de medio aut instrumento sanguinis, per quòd Christus uenerit, ac de testante in terris sanguine Christi, id est, de sacra cæna, quod in Euangelio hoc Sacramentum præterit: uel potius ideo præteriisse in Euangelio, quod hic satis de eo sit testatus, docueritq; esse medium & testem Christi, quod proprium Sacramentorum est.

De dicto Pauli Heb. 9. HIC est sanguis Testamenti, quod Deus mandauit, ex 24. cap. Exodi petito, dictum quidem est supra, (licet prorsus nimium breuiter pro tanta rei magnitudine ac amplitudine) cum monui originem huius tanti Sacramenti expendendam esse. Que
inde

inde proculdubio uerissimè, ut ex sequentibus appareābit, petitur, quascunq; demum alij diuinationes à prophanis consuetudinibus aut hominibus parum religiosè afferant.

Quod autem illinc sit petenda occasio & ueluti origo fœderis, inde quoq; euidenter demonstratur, quòd ipse semet Paulus non solum in Epistola ad Heb. sed & ad Gal: nobis huius rei doctrinam proponit. Nam primum ostendit esse duo fœdera aut pactiones Vetus & Nouū, Vetus in monte Syna mediante Mose factum, ut habetur Exo. 24. Nouum in Hierusalem per Christum initum ac sancitum, Quæ duæ pactiones sint, ueluti duæ matres duorum diuersorum populorum, nempe legalium DEI cultorum & Euangelicorum.

Quo autem eo magis rem tantam illustret, confert etiam illas duas pactiones cum duabus uxoribus Abrahami, quod sicut Abrahamus terrenus pater, duos diuersos populos ex duabus uxoribus procreauerit: Ita etiā Deus uerus ac spiritualis pater, ex duobus fœderibus aut pactionibus duos diuersos cœtus cultorum sibi genuerit: Ex Synaico quidem fœdere Iudaicum populum, Ex Hierosolimitano autem ipsam Ecclesiam, quæ illi successit. Deinde illud Testamentū aut fœdus in monte Syna per Moysen Exod. 24. factum confert cum nouo Hierosolime à Christo instituto, id est, cum ipsa sacra cœna ostendens, hoc esse illo præstantius & hoc illi successisse. Nam nullum certè aliud est Synaicum fœdus, quàm illud Exod. 24. nec aliud Hierosolimitanum, quàm sacra cœna. Quare adhuc

re adhuc aliquanto accuratius, tum hoc ipsum dictum
tum & consonantiam duorum fœderum ac imprimis o-
riginem ac scaturiginem noui fœderis in timore Dei ex-
pendamus.

Consideremus igitur, quod nullum planè celebrius
fœdus est cum populo Israelitico per Mosen sancitum,
quàm illud Synaicum. Ideo id Moses Deuter. 4. 5. & 29.
multum ac diligenter Israelitis inculcat.

Deinde consideremus, quod res planè eadem agatur
ibi, quæ hic in cœna: Nam fœdus cum Deo certis mutuis
quæ conditionibus ac promissionibus per mediatorem
sancitur.

Tertiò, sicut ibi fit gloriosa Dei apparitione super
montem Synai, post traditum decalogum aliq; præcep-
ta, & post recitatum librum mandatorum à Deo accep-
torum, expositamq; doctrinam, Ita & hic postquam
Christus plenè apostolos de uoluntate patris totaq; do-
ctrina, ut sibi iniunctum fuerat, instruxit.

Quartò confirmatur etiam ac peragitur simili re ac
ceremonia, nempe eiusdem fœderali uictimæ sanguine
tum Deo oblato, tum & in populum, cum quo fœdus fit
distributo, ut Exod. 24. instituitur, et sæpè postea repe-
titur & citatur à Rege Iosia, Ezra & alijs.

Quintò adhibetur & in eo fœdere conuiuium, atq;
ita panis & uinum, ac fœderalium uictimarum caro, ut
& in hac parte illud pactum per omnia cum sacræ cœ-
næ fœdere consonet.

Deniq; uerba quoq; ipsa eadem planè sunt, modo ea
diligenter

diligenter expendas, Exo, 24. Heb. 9. τὸ ὑτὸ τὸ αἷμα
τὸ ἁγίου, ἢς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεὸς.
Matth. 26. Marc. 14. Hic est sanguis Testamenti quod
mandavit Deus erga uos, Hic est sanguis meus noui Te=
stamenti.

Manifestum ergo est, Christum, cum pro uetere Te=
stamento aut fœdere nouum suo sanguine inter Deum
et homines, secundum promissiones Prophetarum, san=
cire uellet, illa ipsa ueteris pacti uerba studio in suum
fœdus transtulisse, et solummodo discriminis causa duas
uoculas adiecisse, nempe MEVS, ut ostenderet eos hacte=
nus pecudum sanguine sanxisse et instaurasse illud
prius fœdus, at nunc suo multo preciosiore, ut qui sit
sanguis filii Dei: Postea addidit Nouum Testamentum,
ut indicaret, hoc non iam amplius esse illud uetus Testa=
mentum, sed nouum, quod in eius locum secundum Pro=
phetias succederet: Quasi diceret Dominus, Hactenus
sæpè sanxit ac repetiit meus Pater cœlestis uetus fœdus
uobiscum, conditionibus parum uobis tollerabilibus,
quod uidelicet, si feceritis mandata ipsius, uiuetis in eis,
Idq; per inferiores mediatores Moysen et alios peccato=
res, et deniq; solo pecudum sanguine in uos asperso: sed
tamen promiserat idem dudum se antiquato uetere pa=
cto aliud multo melius Testamentum aut fœdus, ac per
nobiliorem mediatorem, cum amplioribus promissioni=
bus, et quidem sanguine proprii filii aut Messiae uobis=
cum initurum, et sanciturum. Id igitur ipsum nouum
promissumq; fœdus antiquato uetere, nunc ego serua=
tor

tor mundi, uobiscum nomine ac iussu patris mei sancio sanguine ac corpore meo hic iam uobis distributo, & mox patri pro uobis offerendo: Ut sicut & illud uetus fœdus Exod. 24. distributo erga Deum & homines fœderalis uictimæ sanguine, in utramq; partem confirmabatur. Sic & hoc pactum ad utramq; paciscentem partem confirmetur, tū uobis nunc in cibum dato & patri mox offerendo, tanquam uerè quodam sacrosancto pignore, confirmatum & sancitum.

Verisimile etiam ualdè est Christum sacra cœna præclaram concionem habuisse de fœderibus ueteribus dequæ eorum abolatione & noui successione, sicut Lucas satis clarè, tametsi nimis paucis uerbis indicat, cum scribit eum dixisse, Desiderio desiderauit hoc pascha comedere uobiscum, priusquam paterer, Amen dico uobis, non comedam amplius de eo &c. Quibus uerbis satis indicat Dominum docuisse Apostolos, illud esse ultimum legale pascha, seq; miro desiderio flagrasse conatum ac functionem suam ad hunc exitum aut finem deducere, ut imposito fine ueteribus ceremonijs ac fœderi, Nouum Testamentum aut fœdus secundum uetera Prophetarum promissa et mandatum Patris erigeret. De quo peracto opere doctrinæ & fœderis, mox post institutam sacram cœnam gloriatur Christus coram Patre orans, quòd eis doctrinam ac religionem, ut sibi à Patre mandatum fuit plenè tradiderit. Verùm de uerbis fœderis etiam postea agetur, cum dicemus de istorū obiectione, quòd & nos figuram in uerbis cœnæ ponamus.

C

Sed

Sed obstat multis, quò minus & hunc locum & alios de sacra cœna, deq; sanguine Testamenti rectè expendant, quòd aut ignorant Sacramenta, præsertim hoc, esse quædam fœdera, & solum uel ipsam passionem uel beneficia inde ac ex fœdere prouenientia Testamentum uocant. Quòd tamen Caluinus & Beza (ne eis iniuriam facere uideamur) non faciunt, sed diligenter inculcant ipsa Sacramenta esse Testamentum aut fœdus, quòd inter duas partes, nos ac Deum feriat. Errant aliqui etiam ideo, quòd non putant hoc fœdus adeo sanctè confirmari erga nos, sed tantum erga Deum. Præsertim autem quoties de eius confirmatione per sanguinem dicitur, mox cogitant solum erga Deum confirmari oblatione eius, Erga nos uerò non item.

Caluinus in Harmonia fatetur quidem sanguinis positione etiam erga nos sanciri hoc fœdus quòd ualde probo. Verùm intelligit de sanguine spiritualiter per fidem hausto, Quòd non probo. Nam Sacramenta non internis & spiritualibus beneficijs, quæ iam eorum effectus sunt, sed externis notis, ceremonijs, ritibus ac rebus sanciantur & constabiliuntur.

Quare scriptura cum alibi tum præcipuè in ipsa institutione cœnæ & 1. Iohan. 5. contrarium hisce somnijs docet, nempe fœdus hoc sanguine ac corpore non tantum erga Deum, sed & erga nos sanciri, Proinde dissipata ista nebula erroris aut somnij sciamus Christum in sua ultima cœna uerè nouum fœdus sanxisse inter nos ac Deum, idq; tum erga homines suo sacrosancto corpore & sanguine

guine nobis ad edendum ac bibendum dato, tum & erga Deum eodem pro peccatis totius mundi oblato sollemnissime confirmasse.

Hoc modo si expendetur hoc sacrosanctum Dei fœdus eiusq; uera origo aut occasio & sanguis ac corpus Domini, quo confirmatum sancitumq; est, clarius huius Sacramenti, ratio & istorum sanctissimorum pignorum usus ac ueritas conspicietur: Sed nunc ad propositum scopum redeamus.

Summa igitur istorum duorum fœderum congruentia, mutuaq; successio denique & uerborum ipsorum consonantia de pluribus in hac presenti controuersia obseruãdis, nos utilissimè monere ac docere potest. Quorum aliqua ordine recensebimus.

Primum enim cum origo cœnæ Domini ex illa ueteris fœderis sanctione petita sit, apparet planè & in noui Testamenti constitutione eiusdem uictimæ Christi, non diuersæ, sanguinem non tantum Deo oblatum, sed etiam communicantibus datum, sicut & olim in ueteri Testamento Exod. 24. & alias factum esse constat: Nam ibi dimidium quidem sanguinis fœderalis uictimæ Deo offerebatur, alterum uerò dimidium in populum dispergebatur. Alioqui si non esset sanguis Christi utriq; pascenti parti propositus aut oblatus, non certo perinde utramq; partem ad hoc fœdus obligaret.

Secundò, ut uerba, Hic est sanguis Testamenti, ibi non figuratè, sed propriè, atq; adeo propriissime accipiē

da ac intelligenda sunt, quòd ibi monstretur ac distribuatur præsens illius uictimæ sanguis: Ita & hic in sacro= sancto Testamento Domini in sua propria natiuaq; significatione accipiantur necesse est. Quare ne torqueatur ac ueluti crucifigantur tot uiolentis figuris, ut fit nunc ab aduersarijs, nisi extrema die falsarij Testamenti filij Dei iudicari uelimus.

Tertiò, Conquirunt illi ex omnibus angulis aut lateribus ueteris Testamenti obscurissimas quasq; Hebraicas figuratasq; locutiones, idq; ex materijs & negotijs dissimilimis & uolunt nos cogere, ut perinde figuratè clarissima uerba cænæ Domini intelligamus. Ast contrà cur non potius sumunt hanc loquutionem aut formulam rebus & uerbis institutioni cænæ Domini simillimam (utpote quæ etiam ex ueteris fæderis sanctione desumpta est, & totidem uerbis in institutione noui fæderis repetita) ac ex eius claro perspicuoq; sensu eiusdem significationem in cæna Domini iudicant & constituunt: Hoc longe profectò æquius & ueritati conuenientius esset. Ex similibus enim rebus ac loquutionibus, non toto cælo diuersis, iudicandum est.

Quartò, quemadmodum uerba hæc, Hic est sanguis Testamenti, significant in ueteri Testamento, quòd illo præsenti sanguine, quo tunc aspergebatur, aut contingebatur populus, confirmabatur illud Testamentum, aut illa fæderis sanctio, Sic & in cæna Domini hæc eadem uerba, Hic est sanguis noui Testamenti, aut hoc est nouum Testamentum in meo sanguine de præsenti ac ibi distributo

distributo sanguine intelligenda sunt (non de aliquo ab-
sente, typico aut in cælo empyreo recluso) quòd eo illa
ipsa sanctio aut fœderis instauratio confirmetur.

Quòd si de sanguine in cœna dato hic in intellectus
uerus est, sicut omnino necessariò est uerissimus, seque-
tur ultro & de altera cœnæ parte, corpus nempe Chri-
sti ibi præsens ac in cœna datum sic esse accipiendum &
intelligendum, ut sit pignus & confirmatio illius Testa-
menti, pactionis aut fœderis.

Epistola ad Hebreos inde ab initio incipit differere
de mediatore, per quem nobis Deus sit locutus & de fir-
miter tenenda pactione, quàm Deus per eum nobiscum
inierit. Sed cap. 7. 8. 9. & 10. etiam clarius ac plenius
confert duo ista fœdera, uetus cum nouo, quæ sunt ipsa
Sacramenta nec aliud omnino sunt quàm fœdera cum
Deo, ostendit igitur Apostolus uaria, in quibus ista duo
pacta aut fœdera inter sese conueniant aut non conue-
niant.

Dicit ergo illa duo fœdera in hisce differre: Primùm
quòd nouum fœdus habeat præstantiorem mediatorem
aut conciliatorem quàm uetus: Deinde quòd hoc sit iura-
mento Dei confirmatum, illud non. Tertiò, quòd sit fir-
mius aut immutabilius illo: Quartò, quòd nouum me-
liores ac maiores promissiones ac bona afferat quàm il-
lud.

Loquitur autem propriè de ipsis fœderibus, pactioni-
bus aut Sacramentis, non de bonis ex fœdere dependen-
tibus aut in fœdere promissis, quia dicit nouum fœdus ha-

bere maiores promissiones, separans disertè bona promissa ab ipso fœdere. Non etiam de causa aut acquisitione illorum bonorum. Vt pleriq; perperam hoc tempore uocem Testamenti aut fœderis intelligunt & exponere solent, magno cum damno & obscuracione ueritatis, quòd etiam in præcedenti argumento monui.

Porro cap. 9. differit hæc duo fœdera in eo quidem conuenire, quòd illud sit *αὐτίκω* huius, id est adumbrauerit aut figurauerit hoc, & quòd sicut illud uetus est sanguine uictimæ in populo sparso sancitum aut confirmatũ, ita etiam hoc nouũ itidem sanguine confirmetur ac sanciatur. Quo aut magis congruentiã duorũ fœderum, quoad stabilitiõnem sanguinis, perspiciamus, recuset nobis etiã ipsa uerba quæ solitus est Sacerdos pronũciare in renouatione illius fœderis, de sanguine ibi in populũ sparso, quæ prorsus conueniũt cũ uerbis noui fœderis, ut in præcedenti argumẽto ostendi prolixius.

Postremò cap. 10. hortatur Apostolus Christianos ne deserto hoc tam sancto fœdere deficiant ab Ecclesia, nec sese subtrahant. Quia, cum deficientibus à lege ac fœdere Moysis inuitabilis pœna mortis sit proposita, multò minus talibus apostatis ulla amplius alia spes aut uia salutis supersit, ut qui tum mediatorem huius pactiõnis Christum cum suo merito conculcarint, tum & sanguinem fœderis semel cum Deo initi communem aut profanum arbitrati sint, id est contempserint & profana uerint sanguinem in sacra cœna datum, quo fœdus illud inter nos & Deum mediante Christo sancitum & constabilitum est. Ex qua Pauli diligenti collatione uer-

teris ac noui fœderis manifestissime apparet & certissime concluditur, omnino in hoc sanctissimo fœdere cœnæ Domini dari uerum sanguinem Christi mediatoris in constabilitationem illius: Quem uel magnificimus ac quasi sanctificamus sanctè seruando id pactum, uel etiã deficiendo contemnimus ac prophanamus.

Si uerum sensum Testamenti Christi retinere uolumus, necesse omnino est sentire ibi quandam nouam & huic Sacramento propriam manducationem corporis Domini constitui, quod hoc argumento probo. Vera comestio corporis Domini cœnæ est noua, & huic Sacramento prorsus specialis: Aduersariorum spirituales comestiones non sunt huic Sacramento speciales, quod ipsi met fatentur. Igitur non sunt in hoc Testamento ueræ. Maiorem probo sequentibus rationibus.

1. Quia omnia Sacramenta in ipsa sui essentia aut corpore à se inuicem differunt, etiamsi in fructibus aut effectibus aliqua congruant. Pertinet autem sumptio corporis ac sanguinis ad essentiam, ut supra ostendi.

2. Quia hæc descriptio formæ huius Sacramenti ponitur in eius institutione. Petinent autem singulæ institutiones ac descriptiones propriè ad sua Sacramenta & non ad alia, nec sunt confundendæ.

3. Quia Iohannes separat sanguinem seu sumptionem sanguinis ab aqua, id est, à Baptismo. Ergo non habetur ea sumptio in Baptismo.

4. Quia illa tam plena ac perspicua descriptio, tam accurata duarum partium aut specierum distinctio, & cor

poris ad panem ac uini ad sanguinem associatio, deniq;
tam crebra repetitio aut inculcatio illius institutionis,
comestionis ac potionis, omnino indicat, ibi aliquid nouum ac proprium institui: Alioqui si quidpiam commune alijs Sacramentis, hominibus, ac temporibus tractaretur, nihil certè opus esset, tam sedulo id in Cæna proprie agi, circumscribi, & inculcari.

5. Quia suprâ satis ostendi, hoc Sacramentum ad imitationem ueteris fœderis Exod. 24. & Heb. 9. institutum esse: Ibi uerò illa distributio sanguinis, in confirmationem illius Sacramenti facta, erat illi planè propria ac specialis. Quare & Cæna hæc distributio corporis ac sanguinis est planè specialis & propria, & non cum alijs Sacramentis communis.

6. Quia Paulus præter recitationem uerborum institutionis, etiam alia dicta addit, quibus participationis corporis ac sanguinis abusum, non dijudicationem, reatum & pœnas malè sumpti corporis, propriè huic tantum Sacramento ascribit, seorsim ab alijs.

7. Quia Christus ipse tantum illi fœderi aut Sacramento id ascribit, quòd suo sanguine sanciat, & quidem clarè monstrans dicit, HIC, hic sanguis est Testamenti. Nusquam autem legimus, quòd Baptismus sumptione corporis ac sanguinis Domini erga nos sanciat.

8. Quia omnis uetustas totaq; Ecclesia semper sensit ibi quandam nouam & huic Sacramento specialem corporis manducationem institui. Quæ sententia adeo fuit recepta, ut propterea Cæna uocata sit & adhuc uocetur

tur

tur Sacramentum corporis ac sanguinis.

Inanis uerò obiectio est, quòd isti citant, baptizatos induere Christum, quæ improprietas ac figura Hebræa nota est. Sic enim dicunt etiam induere benedictionem aut maledictionem. Eadem ratione frustra citant, In unum corpus baptizati sumus, quòd de mystico aut Ecclesie corpore dicitur. Præterea illa dicta non sunt in institutione Baptismi, sicut in institutione Cæna, sed ubi obiter tantum attingitur Baptismus. Non sunt prolixæ aut plenè descriptiones eius Sacramenti, non crebrò, eisdemq; uerbis inculcatæ, ut illa de Cæna, deniq; statim exponuntur, quòd non de comestione corporis Christi agant.

Probata igitur Maiore, conclusio necessariò sequitur, nempe omnes istas spirituales communionem, quas isti nobis obtrudere conantur, alienas esse ab hisce uerbis & institutione, Comedite, HOC est corpus, HIC est sanguis meus.

Quòd si ista uerba, Accipite & comedite, Hoc est corpus, Hic est sanguis non sunt propria huic Cæna, aut non quandam singularem huius proprietatem asserunt, tollantur hinc prorsus, & uel in Baptismo uel alibi, uel etiam nullibi recitentur, sicut tum dudum quidam Sacramentarij ea ex sacra Cæna sustulerunt, & quidam corruerunt: tum & nunc quidam in Gallijs lidem conati esse dicuntur.

Dixi hætenus in hac secunda parte huius scriptio-
nis, qua potui breuitate, de uerbis Testamenti Domini,

ni, & alijs scripturæ locis, pari perspicuitate ac energia
asserentibus ueram ac substantialem corporis Christi
præsentiam & participationem in Cæna Domini: Quo
meipsum & alios rudiores monerem de retinendo fide-
lissimè Testamento Iesu Christi, idq; in suo uero ac nati-
uo sensu, reiectis omnibus eius corruptelis ac falsationi-
bus astutiæ & cauponationis humane: Nunc in tertia
separatim etiam de refutatione aduersariorum tracta-
bimus.

TERTIA PARS SEVRE FVTATIO QVARVNDAM SEN- tentiarum & sophismatum Aduersariorum.

HActenus in secunda parte tantum ueluti illustra-
tionem quandam Testamenti Christi, ac confir-
mationem ueræ sententiæ proposui. Nunc in ul-
tima refutabo quasdam primarias aduersariorum sen-
tentias, nostrasq; illis contrarias confirmabo, & postre-
mò etiam quædam sophismata ipsorum dissoluam.

Recentiores in re Sacramentaria aduersarij, ualdè
clamant testantur & protestantur (quo animo et quàm
uerè alijs uiderint) se credere ac docere ueram, realem
ac corporalem præsentiam, exhibitionem & perceptio-
nem corporis ac sanguinis Domini in cæna ipsius. Quin
etiam accusat & refutat acriter Caluinus Zuuinglianos
passim in suis scriptis, quòd eã in disputationibus contra
nostras Ecclesias & alijs alijs scriptis negauerint, quòd
plurimis

plurimis perspicuis & uehementibus eius dictis liquido
probari potest, quorum aliqua hic recensebo.

Ex institutione Caluini de cæna, Christum esse panem uitæ, quo in salutem æternam nutriantur fideles, nemo est, nisi prorsus irreligiosus, qui non fateatur: Sed hoc non perinde inter omnes conuenit, qualis sit eius participandi ratio, Sunt enim qui manducare Christi carnem, & sanguinem eius bibere uno uerbo definiunt **NIHIL** esse **ALIVD**, quàm in Christum ipsum credere, sed mihi expressius ac sublimius quid uidetur uoluisse docere Christus præclara illa concione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat, nempe uera sui participatione nos uiuificari.

Item, Verum hoc inter mea & ipsorum uerba **INTEREST**, quòd illis manducare est duntaxat **CREDERE**: ego credendo **MANDUCARI** Christi carnem, qui fide noster efficitur, eamq; manducationem fructum effectumq; esse fidei dico, aut, si clarius uelis, illis manducatio est fides, mihi ex fide potius consequi uidetur. In uerbis paruum, sed in re non mediocre est discrimen.

Item: Neq; **ILLI** mihi **SATISFACIUNT** qui nonnullam nobis esse communionem agnoscentes, **EAM** dum ostendere uolunt, nos **SPIRITVS** modo participes faciunt, præterita carnis & sanguinis mentione. Quasi uerò illa omnia de nihilo dicta forent: carnem eius uerè esse **CIBVM**, **SANGVINEM** eius **VERE** esse **POTVM**.
Non habere uitam, nisi qui carnem illam manducarit et
sanguis

sanguinem biberit, & quæ eodem pertinent. Quare si ultra eorum descriptionem solidam Christi communionem progredi constat, quousq; pateat & sese proferat paucis perstringamus.

Item: Dico igitur in cæna mysterio per symbola panis & uini, Christum VERE nobis exhiberi, adeoq; corpus & sanguinem eius, in quibus omnem obedientiam pro comparanda nobis iusticia adimpleuit, quo scilicet primùm in CORPVS unum cum ipso coalescamus. Deinde participes SVBSTANTIAE eius facti, in bonorum omnium communicatione uirtutem quoq; sentiamus.

Item: Cæterùm his absurditatibus sublatis, quicquid ad exprimendam VERAM SVBSTANTIAlemq; corporis ac sanguinis Domini communicationem, quæ sub sacris cænæ Symbolis fidelibus EXHIBETUR, facere potest, RECIPIO. Atq; ita, ut non imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentia percipere, sed ut rei ipsa frui in alimentum uitæ æternæ intelligantur.

Item in 6. cap. Iohan. inquit. Nec rectè etiam illi, qui Christi carnem prodesse dicunt, quatenus crucifixa est, comesam uerò nihil nobis afferre, quin potius comedere eam necesse est, ut crucifixa profit.

Ibidem porrò, qui ex hoc loco manducationem Christi NIHIL ALIUD esse colligunt, quàm fidem non satis APPOSITE ratiocinantur.

Item 1. Cor. 11. Videamus QVOMODO nobis detur corpus Christi. QUIDAM nobis DARI exponunt, dum participes efficimur omnium bonorum, quæ nobis Christus

stus

stus in corpore suo acquisiuit, dum fide inquam, ample-
ctimur Christum pro nobis crucifixum & à mortuis ex-
citatum, eoq; modo efficaciter omnib; eius bonis com-
municamus. Qui SIC sentiunt, fruantur sanè illo sensu.
EGO autem tunc nos demum participare CHRISTI bo-
nis agnosco, postquam Christum ipsum obtinemus. Obti-
neri autem dico non tantum, cum pro nobis factum uicti-
mam esse credimus, sed dum in nobis habitat, dum est
unum nobiscum, dum eius sumus membra ex CARNE
eius, dum in unam deniq; & uitam & substantiam (ut
ita loquar) cum ipso coalescimus. Ibidem super 1. Cor. 11.
de uerbis cœnæ Domini scribit: Præterea audio quid
VERBA sonent. Neq; enim mortis tantum & resurre-
ctionis suæ beneficia nobis offert Christum, SED COR-
PVS IPSVM, in quo PASSVS est & resurrexit, hoc est,
VERE nobis in Cœna dari corpus Christi.

Ibidem: incredibile hoc uidetur, pasci nos Christi car-
ne, quæ tam procul à nobis distat. Memineris arcanum
ac mirificum esse Spiritus sanctus opus, Quòd intelligen-
tiæ tuæ MODVLO petiri sit NEFAS & c. Ibidem, Neq;
enim simpliciter & sine adiectione Dominus corpus suū
nobis offert: Sed quatenus pro nobis immolatum fuit.
Prius ergo membrum significat nobis corpus exhiberi.
Hoc secundum exprimit, quis inde fructus ad nos perue-
niat: & mox. Quod autem hinc nonnulli colligunt, ab-
esse igitur à Cœna Christum, quoniam memoria non nisi
rei absentis sit: Prompta est responsio & c. Ibidem, Sicut
ergo fateor quosdam esse, qui VERE simul in Cœna &
tamen

Eamē INDIGNE Christum recipiant, Quales sunt multi infirmi.

Super Ephe. 5. uehementer errant, Nam cum in Cœna doceant commemorationem fieri mortis Christi: Communicationem non admittunt. Qualem nos ex Christi uerbis asserimus, Vt mur hoc testimonio aduersus eos. Citabuntur & postea quædam.

Ex hisce satis liquidò apparet damnare Caluimum (quo animo aut consilio ipse uiderit) eos Sacramentarios, qui contenderant non adesse nec exhiberi aut accipi uerum corpus ac sanguinem Domini in sacra cœna. Ei porrò illi iam propalam non contradicunt, sed potius, ueluti agnoscentes culpam, assentiri uidentur. At Deus bone, quibus clamoribus, quanta uehementia & quàm importuna contentione, ac deniq; etiam conuitijs antea contra Lutherum & nostras Ecclesias contenderunt, se ueram ac salutarem sententiam ac doctrinam de Sacramentis profiteri ac tueri, nosq; ut Papistas, acerbissimè accusarunt.

Meritò profectò deberet ista tam grauis ipsorum erroris demonstratio ac redargutio aliquem non leuem scrupulum ipsis eorumq; auditoribus inijcere, ut Paulo modestius posthac tumultuarentur, uel nos damnando, uel etiam sua quali acunq; placita, aut etiam somnia propugnando.

Orandus uerò Deus est, ut qui unum errorem Sacramentarij dogmatis mundo patefecit, redarguat & confundat alios quoq; adiunctos illi, qui sese adhuc ægrè ^{culneis}

euineis folijs contegunt, palliantes tumentur.

Ceterum ego relinquam nunc primam illam questionem de uera presentia corporis et sanguinis Domini, de qua clamant recentiores Antagonistae nullum prorsus esse certamen, quanquam satis supra asserui, et multo plenius alij sinceri nostrarum Ecclesiarum Doctores. Nam inter multa alia in hanc sententiam Beza haec quoque contra D. D. Heshusium scribit.

Extra controuersiam est tam uerè sumi et offerri à Deo, et à fidelibus percipi, non tantum fructum corporis et sanguinis, sed etiam ipsissimum corpus et sanguinem Christi, quam uerè offeruntur externa illarum rerum symbola, id est, panis et uinum etc.

Credam sanè ego eis nunc, ne nimis longam scriptio-
nem continuare cogar, ac de alijs quibusdam sententijs, quae sunt nostrae huic materiae nihilominus propriae, quasque illi controuersas esse fatentur, ueluti refutationis loco, Deo inuante ita disseram, ut nostram pianquam sententiam contra ipsorum opiniones demonstrarem, sunt autem haec sex.

1. Quòd Sacramentalis exhibitio et participatio corporis ac sanguinis Domini in sacra caena sit quiddam externum et corporale, non internum et animae soli proprium aut spirituale.

2. Quòd ea non fide percipiatur aut peragatur, sed ore sumatur.

3. Quòd non à solis dignis, sed etiam ab indignis ac hypocritis, modo sint Christiani.

4. Quòd

4. Quòd in uerbis sacræ cœnæ uox CORPVS proprie & non figuratè accipienda sit.

5. Quòd ibi eius corpus naturale nominetur, eiusq; manducatio plurimum differat à mystici corporis societate aut communione.

6. Quòd uerbum EST in sua natiua significatione & non pro significat accipiatur.

DE quibus dubiis, quòd facilius & scèlicius statuere queam, pauca quædam de ista locutione: EDE=RE corpus Christi, seu etiam de speciebus esus aut sumptionis corporis ac sanguinis Domini dicemus, ne uel rerum confusione, uel uocum ac phrasium abusu aut ambiguitate uera ac genuina sententia controuersie obscuretur.

Quantum ergo præsentis disceptationes cum aduersariis & ipsas etiam sacras literas expendere potui, reperio quatuor comestiones aut sumptiones corporis & sanguinis Christi nominari & agitari, nempe 1. Physicam seu Capernaiticam 2. Sacramentalem 3. Mysticam, qua membra Christi sumus, & 4. Spiritualem.

Physica qualis sit, faciliè ex communi usu aut esu carniuum aut aliarum rerum intelligitur. Eam Capernaitæ Christum polliceri somniabant & aduersarij, nobis sæpè falso obiiciunt, Tali etiam quadam ratione in Sacramento PANEM & uinum sumimus, licet non in physicum carnalem uè finem aut fructum, sed in usum religiosum.

Sacramentalem corporis CHRISTI manducationem
uoco

uoco eam, quæ illius Sacramenti, seu in confirmationem
eius ore fit, sine sensu, sine consequentibus physicis actio-
nibus motibus aut transmutationib., quas aliqui malicio-
se ex carnali quotidianorū ciborum usu aut esuratioci-
nantur nobisq; obiectant. Quæ manducatio quoniam
plenè ac clarè, qualis nam omnino ratione totius suæ
formæ sit, explicata à spiritu sancto non est, nec à nobis
quidem inuestigari debet aut explicari potest. Fatentur
sanè & ipsi aduersarij rationem modumue manducatio-
nis corporis Christi peruestigari non posse. Hanc nos tã-
tum in cæna Domini institutam esse & fieri asserimus,
& extra cænae usum haberi negamus.

Mysticam sumptionem corporis Christi uoco eam,
de qua Ephe. 5. & 4. Rom. 12. 1. Cor. 12. & in similibus
locis agitur, qua sumus caro de carne eius, & os de osi-
bus Christi, eiusq; uera membra, quæ etiam nihilominus
spiritualis est, quam percipimus etiam extra cænam Do-
mini, atq; adeo pueri quoq; percipiunt, qui nunquam ad-
huc communicarunt.

Voco autem ideò Mysticam, cum & spiritualis dici
posset, quòd Paulus Ephe. 5. hanc nostri totiusq; Eccle-
siae coniunctionem cum Christo uocat magnum myste-
rium. De hac passim in scriptura agitur. Hanc solam &
sequentem in cæna fieri recentiores aduersarij conten-
dunt.

Quartam sumptionem corporis ac sanguinis uocaui
SPIRITVALEM, quæ propriè est participatio meriti
Christi & aliorum spiritualium beneficiorum ex eius
passione

D

passione

passione ac merito nobis prouenientium

Hanc solam Zuuingliani admittere uoluerunt, tametsi (ut supra dictum est) quam uehementer eam in priori parte Testamenti extra suum locum pro illa Sacramentali nobis obtrudere conati sunt, tam facile eandem postea in posteriori loco, & ubi proprie de ipsa agitur, sustulerunt. Verum nunc reprehensi & conuicti à recentioribus, uidentur etiam illam tertiam supra indicatam seu mysticam in Sacramento concedere.

De hac quarta ac spirituali comestione, proprie Ioh. 6. agitur. Eatenus enim demum dicit Dominus carnem suam esse uerum cibum, quatenus pro mundi uita traditur aut offertur, nobisq; iusticiam aut uitam mereatur. Hasce duas posteriores manducationes Christi nos non in uerbis, Hoc est corpus, sed in posteriori parte huius fructus numeramus.

Nunc igitur ad propositas quaestiones reuerentes, dicimus sumptionem corporis ac sanguinis Christi in sacra Cæna institutam, esse quandam externam & corporalem actionem, non tantum spirituali motu aut actione Dei, aut etiam nostræ fidei constantem & animæ exhibitam. Quod hisce sequentibus testimonijs & rationibus euidenter probatur.

Primum ex ipso textu manifestum est non posse uerba sacrae Cænae intelligi, ut isti uolunt, de ista mystica & spirituali incorporatione, aut etiam (ut ita dicam) immembratione in corpus Christi, de qua agitur Ephes. 4. & 5. ut postea clarius ostendetur. Quare agitur de qua
dam

dam externa communione corporis ac sanguinis Domini.

Illam spirituales communicatio cum finis uiua membra Christi, est ingens Dei beneficium & ex merito passionis eius profluens est: At Sacramenta non proprie illa summa spiritualiaque beneficia sunt, sed tantum signacula aut pignora, & sicut Iohannes dicit media ac testes uerorum beneficiorum.

3. Summa illa spiritualiaque beneficia tantum promissione offeruntur, At in Cæna non promittitur nobis corpus & sanguis, sed simpliciter asseritur id, quod datum est ad cibum & potum, esse uerum Corpus & sanguinem Domini.

4. Illa mystica aut spiritualis communicatio aut potius incorporatio, quo isti comestionem corporis Christi & uerba cæne trahunt, multo magis Baptismo, quam cæne conuenit. Ibi enim inserimur & recipimur in Ecclesiam & corpus Christi, eiusque membra finis, non proprie hic, tametsi id ipsum beneficium, hic nobis augeatur & confirmetur.

5. Suprà satis dixi, quod si esset sensus Testamenti, dari ibi tantum internam ac spiritualem quandam communicationem corporis, non solum superflua tautologia, sed etiam ad fallendum apposita atque adeo falsa esset illa separata & tam accurata distributio, quod Spiritus S. toties repetens inculcat dato aut accepto pane dari & accipi corpus. Dato & accepto uino participari sanguinem, Nam illa mystica aut spiritualis communicatio,



sicut & alia spiritualia bona integra ex alterutra specie aut parte haberi possunt. Quin et extra communionem. Rectè enim perinde diceretur (si istorum sensus cœnæ esset uerus) de pane, hic est sanguis, ac de uino, hoc est corpus, Rectè & de solo pane, aut de solo uino, hoc est corpus & sanguis, Deniq; rectè de solo uerbo aut de solo baptismo idem pronunciaretur. Quare externa ac sacramentalis quædam communio corporis ibi proponuntur.

6. Essentia ac ceu corpus fœderum quiddam externū & quasi corporale est, Verū beneficia effectus ac fines Sacramentorum quiddam spirituale. At suprâ ostendimus illa uerba, Hoc est corpus, Hic est sanguis, pertinere ad essentiam, non ad effectum, finem aut usum spirituales sacre cœnæ.

7. Caluinus acriter nos accusans in Harmonia scribit: Hic est sanguis noui Testamenti, Lucas & Paulus nouum Testamentum in sanguine: eodem tamen sensu, quia fœdus hoc non nisi spiritualis sanguinis potione sancitur, ut firmum sit & efficax. Non uidet autem ille se sibi met contradicere, cum uult spirituales potiones esse causas efficacis testamenti, cum ipsa sit unus ex eius primarijs effectibus aut fructibus. Ponit id in causa efficiente Sacramenti, quod passim in suis scriptis eidem, ut effectum tribuit. Sic eadem modo in causas modo in effectus collocat. Considera autem harum rerum ordinem per causas & effectus, 1. Sanguis confirmans, 2. Fœdus, 3. Efficacia eius, 4. Spiritualis participatio Christi, & eius

eius meritorum. Sic quod ultimo loco proprio eius Testamento est, collocat iam primo. Verum Sacramenta sanciantur non spiritualibus beneficijs, sed præter uerbum rebus externis, notis, elementis ac ritibus, ut circumcisio abscissione præputij, fœdus in Sinai aspersione sanguinis Exod. 24. Baptismus lotionem, cœna esu ac potu.

8. I. Iohan. 5. affirmat aquam et sanguinem, ut uerba ipsa clarè sonant & suprâ probaui, esse media per quæ ueniat ad nos Christus, & esse testes de Christo eiusq; beneficijs. Non ergo sunt ipsa spiritualia beneficia, de quibus testimonium dari oportet. Certè media per quæ nobiscum agit Christus, & quæ testantur de Christo, sunt, & esse debent res externæ & planè diuersæ ab ipsis spiritualibus internisq; beneficijs. Debent enim agere coram toto mundo ac testari de ipso, eiusq; spiritualibus beneficijs. Nam illa mystica incorporatio quomodo potest esse medium actionis, cum sit meta aut scopus? Quomodo etiã ipsa coram toto mundo testari posset, cum sit prorsus obscurum ac reconditum mysteriũ, à solis pijs creditum, & alieno testimonio ac confirmatione plurimum indigens.

9. Sacramenta aut fœdera (nam etiam illi concedunt Sacramenta esse fœdera) sunt omnino res externæ ac diuersæ ab ipsis spiritualibus beneficijs, quæ nobis per fœdera promittuntur. Sed fœdus hoc magna ex parte constat sanguinis, quo confirmatur, porrectione, acceptione & participatione. Ideoq; etiam sanguis fœderis aut Testamenti in Epistola ad Hebr. & alibi in scriptura uoca-

tur. Quod autem de sanguine fœderis dicitur hoc & de altera parte cœnæ, nempe de corpore intelligi omnino est necesse. Quare cum totum fœdus sit quiddam externum, necesse est etiam eius primariam partem esse externum quid & ueluti corporale.

10. Nemini obest spiritualia beneficia Christi accipere, tunc quidem, cum ea accipit: Nam aliud est, si postea per contemptum eadem reiiciat: sicut in corporari in Christum eiusq; uiuum membrum fieri uere ingens beneficium ipsius est. Quod non potest non esse salutare, Est enim ipsamet sanatio aut saluatio: Sed scriptura affirmat multos sibi in exitium sumere corpus & sanguinem Domini. Igitur ista communio non est quoddam spirituale beneficium, sed externa actio.

11. Paulus clarè dicit indignè sumentem fieri reum corporis Christi, & non dicit illius mysticæ incorporationis. Dicit quoq; eum non dijudicare corpus. Ergo oportet ipsum intelligere de quodam corpore, quod propriè ibi coram sumitur, non de quadam mystica incorporatione, quàm dudum in Baptismo percepit.

12. Spiritus S. studio ita uariè recitat in diuersis locis uerba Cœnæ, quòd ad posteriorem partem atinet, ut hanc istorum & alias fraudes excludat. Nam modo dicit, Hic est sanguis noui Testamenti, id est, quo uobis distributo nouum Testamentum erga nos confirmatur, modo hoc poculum est nouum Testamentum in meo sanguine, id est, OB aut PER meum sanguinem. Nam et illi uertunt ac exponunt illud in sanguine de Testamento aut fœderis

foederis confirmatione per Christi distributum sanguinem. Ostendit igitur clarè se agere de externa foederis per sanguinem datum confirmatione, et non de spirituali (ut loquar) in sanguinatione, aut mystica incorporatione membrorum in Ecclesiam, quæ est corpus Christi.

13. Dixi ac ostendi supra planè, omnino hoc foedus ad imitationem ueteris factum esse, ut pote, cum tum alia plurima, tum & ipsa uerba, Hic est sanguis Testamenti, quòd Deus erga uos ordinauit aut mandauit. Hebræ. 9. Prorsus conueniant, Et Paulus ibi per aliquot capita ista duo foedera conferat, & dicat etiam, quod, sicut uetus sit confirmatum sanguine, ita & nouum oporteat sanguine quidem, sed multo melioris uictimæ confirmari. At ibi sanguis ille confirmatorius, eiusq; in populum distributio fuit quiddam externum & corporeum, igitur & hic est.

14. Consideretur & illud, quod in foederibus siue diuinis, siue humanis sancientis, de eadè uictima mediatrice aut foederali utriq; parti dari sit solitum, ut utraq; pars sciret, illud foedus etiam ad se pertinere, & utranq; partem ad seruandum illud obligaret. Igitur & hic idem fit, sicut scriptura noui testamenti toties inculcat, de hac mediatrice foederaliq; uictima, id est de Christo, quòd nunc quidem in Cæna detur corpus & sanguis eius communicantibus, et quod uicissim mox etiam patri pro nobis, in plenam constabilitationem huius foederis offerretur. Sed patri realis seu externus sanguis oblatus est, Igitur & nobis in sacra Cæna. Verum aliqui somnare

uidentur fœdus tantū erga Deum, non etiam erga nos, qui sumus altera paciscens pars, confirmari quod contra scripturam & naturam fœderum est.

15. O Deus bone, quæ est ista audacia in miseris hominibus, clara ac perspicua uerba Testamenti Christi inuertendi? Filius Dei disertè, & quidem repetens dicit: ACCIPITE, COMEDITE, ac BIBITE, Hoc est corpus meum, HIC est sanguis meus, non mysticus aut spiritualis, sed ille ipse, qui aut quod pro uobis effunditur & traditur. At isti, prorsus uiolenter & contra omnia uerba ipsius, uolunt sacrosanctum Testamentum ita peruerrere, quasi diceret ac dixisset Christus, accipite & comedite, aut bibite, hoc est insitio aut incorporatio uestri in corpus meum mysticum, quod est Ecclesia, ut Epher. 5. habetur.

HActenus probaui primam controuersam sententiam, nempe quòd ista Sacramentalis communio corporis ac sanguinis Domini, qua sanctum fœdus confirmatur, sit quiddam externum ac quasi corporale, non spirituale, & tantum internum. Nunc, duce Christo, secundam aggrediar, quòd uidelicet eadem illa communio non propriè fide, sed ore sumatur.

1. Probatum est in præcedentibus, istam communionem esse quodam externum opus: Igitur corpore peragitur, sicut omnia corporalia corpore peraguntur. Credenda quidem illa est, sed tamen non fide, uerū ore accipitur.

2. Affirmat sanè ipsemet Dominus eam ore percipi, nam

nam de eo, quod dedit & præcepit edere ac bibere, dixit: hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Dare, accipere, edere, bibere externa corporis non interna fidei opera sunt. Nec isti, quantumuis audaces, possunt probare, ea idem ualere quòd credere. Cùm igitur Christus dicat, edite & bibite, credamus ipsimet ueraci & omnipotenti Domino, illud ipsum ore perceptum, esse uerũ corpus & sanguinem Domini, eoq; communionem istam ore percipi.

3. Omnia Sacramenta, quòd ad essentiam sui attinet, corpore percipiuntur, ut circumcisio, Baptismus & alia. Pertinet uerò communicatio corporis & sanguinis Domini ad essentiam Sacramenti, ut supra sæpius inculcaui ac ostendi. Igitur percipitur corpore non fide, ut pote externa res: sicut & modò contra Caluinum monui.

4. Ostendimus supra ex Iohanne, aquam & sanguinem esse media, per quæ agit Christus, & esse testes eius beneficiorum. Igitur fide non percipiuntur, sed corpore. Testibus quidem credimus, sed tamen eos non fide percipimus. Verùm ea bona, de quibus illi testantur fide accipienda sunt. Alia ratio est Spiritus sanctus ne quis hinc nos calumnietur.

5. Fide tantum ea accipiuntur, quæ promittuntur, at quæ simpliciter affirmantur à Deo, ea quidem credenda sunt, sed tamen fide non apprehenditur. Sunt illa siunt uè reuera, siue credamus, siue non credamus. Christum incarnatum esse & passum, mundum à Deo creatum simpliciter Deus testatur: Credenda quidem hæc

sunt, sed tamen non pendent ex nostra fide. At Deum uelle nobis esse propitium propter Christum promittitur nobis, idq; ea ratione aut conditione, si crediderimus. Ideo fide hoc beneficium accipiendum est, alioqui non contingeret nobis. Sic & in cœna Christus non promittit se daturum suum corpus credentibus, sed simpliciter affirmat se iam dedisse & dare. Igitur non fide accipitur, sed corpore.

6. Omnia fide accepta sunt salutaria, sed multis sumptio corporis & sanguinis huius est perniciosa. Igitur non sumitur fide. Paulus accusat suos Corinthios, quod indignè sumant, fiantq; rei corporis & sanguinis, & nō dijudicent corpus ac sanguinem Domini. Loquitur igitur ibi de temere ac sine omni pio iudicio discretionēq; sumpto corpore & sanguine: At omnis fide sumens cum iudicio sumit, non abutitur eo, non fit reus eius. Igitur non propriè fide accipitur.

7. Passio Domini nobis initium ac fons omnium bonorum est: At de ea ille eiusq; fructibus tractat in posteriori parte Testamenti, cum dicit pro nobis traditur, effunditur: In remissionem peccatorum: In memoriam mei facite. Mortem meam annunciate. Cū igitur spirituales fructus, inter quos etiam est spiritualis manducatio fide facta, passionis in posteriorem partem, seu in effectum sacramenti filius Dei tam accuratè discernens seposuerit, quo iure nos eadem illa spiritualia beneficia inepta, ne dicam sacrilega tautologia, & in precedentia intrudere audeamus?

8. Ostendi

8. Ostendi supra esse summam conuenientiam huius
fæderis cum ueteri, quoniam & uerba prorsus eadem ut ex
Hebr. 9. perspicuum est. Verum ibi ille fæderalis san-
guis non fide, sed externo corpore perceptus est. Igitur
eodem modo & hic fit huius sanguinis perceptio.

9. Dixi supra aliquoties non temere, non ociose, non
sine longe grauissima causa ac rei ipsius solida ueritate,
illam tam accuratam descriptionem seorsim corporis
& seorsim sanguinis à Christo factam, & tam sollicite se-
paratim panis corpus, & separatim uino sanguinem at-
tributum adiunctumque esse, itidemque sancte & à Paulo
esse obseruatum. Quod si fide solum ista sumptio corpo-
ris ac sanguinis peragetur, profecto aut ociosa & incon-
siderata, aut etiam fallax & impostura plena esset ista
tam accurata distinctio & definitio. Nam fides & cor-
pus & sanguinem in alterutro istorum elementorum pa-
nis & uini, imò etiam extra perinde perciperet, ut ipsi-
met confirmant.

10. Paulus 1. Cor. 10. affirmat panem fractum seu fra-
ctionem panis, & potionem aut haustum benedictum es-
se participationem corporis & sanguinis Domini. Iam
fractio panis & potio, aut haustio illa certè externo o-
pere & ore, non fide peragitur. Argumentatio est ma-
nifesta. Fractio panis est participatio corporis, Os non
fides percipit fractionem panis. Igitur os non fides per-
cipit in Sacramento corpus & sanguinem.

11. Deus bone, Filius Dei dicit de dato corpore ac san-
guine, Accipite, edite, bibite, at isti uolunt ex edite et bibi-
te, fa-

te, facere credite. Quæ hæc obsecro audacia est huma-
næ peruersitatis? Repetens dico Dominum hic quidem
in priori parte Testamenti, cum dicit illud datum esse
suum corpus ac sanguinem, præcipere esum & potio-
nem, Postea autem ubi de passione eiusq; fructibus agit,
flagitare fidem: Nam promissio pro uobis requirit fidem:
Sic & memoriam, ac commemorationem mandans, ip-
sissimam fidem exigit. Detestemur ergo istam nefandam
audaciam, quòd isti uerba Christi peruertentes uolunt
ex COMEDERE & bibere, quæ oris actiones sunt, face-
re, credere & fide accipere^r ultima Testamenti in pri-
mum locum peruertentes.

Quòd etiam indigni communicent de corpore ac
sanguine Christi, postea probabitur, unde liquido agno-
scetur, quòd non sumatur fide. Carent enim indigni fide.
Ne autem uideatur hoc esse nostrum inuentum, scire de-
bemus etiam ueteres, sic & sensisse & locutos fuisse ac
docuisse. Nam D. Aug. Epist. 118. dicit corpus Domini in
os nostrum ingredi. Idem etiam affirmat in sermone de
tempore 215. Item lib. 2. cap. 9. contra aduersarium le-
gis affirmat, nos corpus Domini non tantum corde, sed
ore etiam percipere. Similia testimonia reperiuntur &
apud alios Patres, ut apud Gregor. lib. dialog. 4. & Ho-
mel. 22. super Euang.

Hæc nunc sufficiant ad probationem, quòd cor-
pus ac sanguis Christi, quòd quidem ad illam Sa-
cramentalem manducationem attinet, percipi-
antur à nobis in sacra cœna, non propriè fide sed ore.

Iam

Iam & de tertia sententia agemus, quod uidelicet etiam indigni sumant, comedant ac bibant corpus & sanguinem Domini (quoad Sacramentalem sumptionem attinet tantum) in sacrosancta eius cœna, Quod sequentibus argumentis euidenter demonstratur.

1. Primum si ista communio corporis ac sanguinis res quædã externa est, nec fide, sed ore peragitur, quorum utrunq; superius abundè ostendi, sequitur ultrò & quidem necessariò eam etiam ac indignis Christianis summi: Nam & ipsi accedunt ad sacram cœnam, & illud scœdus ex æquo cum uerè pijs frequentant, nec quicquam eis aliud deest, quàm uera fides, in qua Sacramentalem communicationem corporis ac sanguinis non esse sitã, neq; inde dependere, sufficienter antea ostendi.

2. Secundò, Sacramenta, quod ad essentiam ipsam sunt communia ueris & hypocriticis Christianis, sed quoad fructus, tantum pijs contingunt. Quod & per se notum est, & ex 1. Cor. 10. apparet, ubi testatur Paulus omnes Israelitas fuisse participes eorundem Sacramentorum, sed non spiritualium fructuum. Ostendimus autem suprã prolixè sumptionem corporis & sanguinis ad ipsam essentiam Sacramenti, non ad fructus aut beneficia referendam esse, Quare est ea communis dignis & indignis, sinceris & hypocritis Christianis.

3. Paulus grauissimè affirmat, fractionem panis & haustum benedictum, esse participationem corporis ac sanguinis Christi, sed fractio aut esus panis ac potionis illius est communis dignis & indignis. Igitur & ipsa
partici-

participatio corporis ac sanguinis Domini.

4. Item dicit indignè sumentes reos fieri corporis & sanguinis Christi, unde hoc, nisi quia abutuntur tam præciosis rebus? certè eius rei nemo fit reus, quæ non abutitur, quàm non uiolat aut indignè tractat, ac ne attingit quidem. Caluimus hisce uerbis eum locum exponit: Perinde est, ac si diceret, illotis manibus ATTRECTANT sacrum corpus Domini ac si res nihili foret, nec cogitant &c. Ergo etiam indigni sumunt corpus Domini, eaq; ratione fiunt rei ipsius. Eodem facit, quòd idem Apostolus dicit eosdem indignè communicantes non dijudicare corpus Domini, Qualis non dijudicatio facta sit à Corinthiis, abunde ex præcedentibus apparet, nempe quod non discernentes corpus Domini ibi oblatum ac ne credentes quidem offerri, perinde uocauerint illam cœnã, ac alias prophanas epulas domi suæ. Ergo uerè sine iudicio ac temere, eoque indigne sumpserunt corpus & sanguinem Domini.

5. Passio eiusq; ueri fructus, qui pijs propriè conueniunt, postea tractantur, non hoc loco, ubi sumptio corporis ac sanguinis constituitur. Igitur ibi demum digni ab indignis separantur. Hæc priora utrisq; sunt communia. Ne ergo sacrilega peruersione tanti Sacramenti ea priore loco ponantur aut tractentur, quæ propriè sequentibus conueniunt.

6. Piorum seu dignorum spiritualis communio aut participatio omnibus locis ac temporibus perinde prompta ac parata eis est: Sed hæc propriè ad Cœnam astringitur,

gitur, & quidem toties ac tam studiosè inculcatis testi-
monijs. Igitur hæc Sacramentalis communio corporis ac
sanguinis etiam indignis conuenit. De quo argumento
suprà in fine secundæ partis proluxæ dictum est.

7. Media Christi ac testes eius perinde erga dignos
& indignos testantur, etiam ipse Spiritus sanctus quòd
ad externam testificationem attinet. Sed Iohannes docet
Baptismum & sacram Cœnam, adeoq; sanguinem huius
Cœnæ, esse medium & testem Christi, & quidem adhuc
in terris testari omnibus, præsertim in cœtu Christiano-
rum. Igitur sumptio corporis ac sanguinis etiam indignis
conuenit.

8. Dixi suprà de conuenientia ueteris sæderis ac no-
ui, & quod etiam eadem uerba, Hic est sanguis Testa-
menti, utrobique ponantur. sed ille sanguis non minus in-
dignis, quàm dignis communicabatur. Igitur & hic etiã
indigni de sanguine huius Testamenti participant.

9. Sacramentorum essentia aut forma non pendet ex
nostra dignitate, sed ex sola Dei ordinatione, Quare sa-
cra Cœna integræ peragitur, siue dignus siue indignus
sumat. Sed indignus bonis effectibus aut fructibus eius
semetipsum priuat. Quin & contrarios malos sibi met
accersit.

10. Satis suprà ostendi & profectò ex ipso textu Pau-
li 1. Cor. 10. & 11. manifestum est, Corinthios ideo in illa
peccata & abusus cœnæ delapsos esse, quia senserint, in
ea cœna tantum communes res, aut cibos, nempe panem
ac uinũ sibi proponi, sicut & in suis ædibus aut idoloriæ
templis,

templis, & nihil aliud magis sacrosanctum. Quare nul-
lam religiositatem, nullam etiam sui aut rei sumendæ di-
iudicationem ab accedentibus requiri. Ideo toties & tã-
serio Paulus inculcat, eos ibi etiam uerum corpus cum
pane, ac sanguine cum uino sumere. Eosdem autem abu-
tentes cœna Corinthios affirmat Paulus sumpsisse, licet
indignè ac sine pia diiudicatione, corpus ac sanguinem
Domini.

11. Tantum illæ duæ communiones adimuntur in scri-
ptura indignis, nempe mystica, ut fiant uera ac uiua
membra Christi, de qua agitur Ephe 4. & 5. (tametsi e-
tiam hypocritæ sint mortua & inutilia membra mysti-
ci corporis) & porrò illa spiritualis seu participatio be-
neficiorum Christi, de qua Iohan. 6. agitur. Ergo hæc Sa-
cramentalis etiam indignis contingit.

12. Calvinus uult in Harmonia, ut & suprâ indicauit,
spirituali portione sanguinis confirmari et sanciri fœdus.
Si spiritualibus actionibus & beneficijs sanciantur fœde-
ratum nemo unquam indignus uerè circumcissus aut ba-
ptizatus est, nemo uerè sacram cœnam percepit, Opor-
tet ergo tales rebaptizari, ne sint extra Ecclesiam &
fœdus Dei. Oportuisset eos etiam olim denuo circumci-
di, quod esset absurdissimum, Externis igitur rebus fœde-
ra cum Deo sanciantur, quæ sunt perinde communes in-
dignis aut dignis.

13. Si filio Dei unica ueritati credere & cedere uelle-
mus, facilè esset de hac propositione, sicut & de tota ista
controuersia statuere, Nam filius Dei tam de eo, quod
olim

olim Iudæ dedit, aut nunc indignis dat, affirmat hoc est corpus meum, quàm de eo, quòd dignis: Idq; in cæna fecit, cum iam illi accepissent & de eò uescerentur. Non ait ille, Si credideritis, si dignè sumpseritis, erit hoc corpus & sanguis, sed simpliciter & sine omni conditione absolutè & disertè pronunciat de eo, quòd dat in communionem, & quòd comedit dignus aut indignus, esse suum uerum corpus ac sanguinem. Credamus igitur illi ueraci Domino & unico pastori, quòd etiam illud sit corpus ac sanguinis eius, quòd indigni sumunt.

Hactenus Christi ope ac ductu probaui, quòd etiam indigni participant de corpore ac sanguine Domini, nec ex nostra dignitate aut indignitate ueritas Sacramenti & ueracitas filij Dei dependeat, quòd quidem ad ipsam eius essentiam attinet: Nam de huius aliorumue Sacramentorum fructibus alia est doctrina, ad quorum perceptionem manifestè fides flagitatur.

Quòd autem & ueteres senserint, etiam indignos communicare de corpore & sanguine Domini, sufficiat in hoc breuitatis studio, uel unius Augustini testimonium, qui id in pluribus locis affirmat, ut ad fratres in Heremo serm. 38.

Sed post bucellam intrauit in Iudam Satanas effectu & opere, sed tamè bona fuit bucella, quam Christus discipulis dedit, bonum etiam Sacramentum, quòd ei tribuit, sed aliquando bona obsunt, & mala quandoq; prosunt. Corpus enim Domini quòd bonum est, malis malum est. Item in Serm. ad Neophytos, hoc accipite in ac-

E cipite

cipite in pane quod pependit in cruce, et hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. Erit enim ei mors, non uita, qui mendacem existimauerit uitam. Id est, qui non crediderit adesse, & sumi uerum corpus ac sanguinem Domini.

Ad Iulianum comitem inquit: Unusquisq; antequam corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipiat seipsum probet & secundum Apostoli præceptum. Sic de pane illo edat, & de calice bibat, quia qui indignè manducat corpus & bibit sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit. In libro contra Fulgentium Donatistam: Sicut qui manducat corpus & bibit sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit, Sic & qui accipit indignè Baptisma, iudicium accipit, non salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon magus bonum baptisma Christi percepit: Sed quia bono bene usi non sunt, mali malè utendo deleti sunt. Bonum est Christi corpus & sanguis, bona est & lex, sed si quis legitime utatur, Item lib. II. contra Epistol. Petil. cap. 55. Hi utiq; dicenturi sunt, in nomine tuo manducauimus & bibimus, & audituri. Non noui uos, qui corpus & sanguinem eius in Sacramento manducant, & bibunt, & membra eius in toto orbe diffusa non agnoscunt.

Iam etiam ad quædam pauca aduersariorum argumenta breuissimè respondeamus: Ac primum quod citant Augustinum dicentem, Apostolos comedisse pane Dominum, sed Iudam tantum panem Domini. Respondeo. Alludit Augustinus ad locum Iohan. 6. ubi Christus

stus

Itus affirmat, se secundum utramq; naturam esse uerum
ac salutarem panem, id est, mediatorem ac seruatorem,
et loquitur Augustinus de spirituali participatione Chri-
sti. Talem communionem Iudas non percepit, dicit au-
tem, eum sumpsisse panem Domini, quid ei idem est, ac
corpus Domini, respiciens in Paulum, qui etiam dicit pa-
nem aut poculum Domini. Et intelligit non tantum pa-
nem aut poculum, sed & ipsum corpus ac sanguinem,
ut mox declarat.

Citant illi praeterea & alium locum Augustini, in
quo dicat: Indignos tantum Sacramentotenus comedere
corpus Christi, & uolunt id idem ualere, ac si dixisset,
solum umbram aut signum corporis comedit. Verum tex-
tus eius est perspicuus, & hoc uult, quod indigni tan-
tum Sacramentali sumptione, corpore Christi fruun-
tur, & in solo Sacramento, non autem illa spirituali &
ubiq; etiam extra hoc Sacramentum. Hinc liquido appa-
ret, quam eis nihil Patres, & praesertim praedicta loca
patrocinentur.

Nunc etiam unum Caluini argumentum, quod pro
inuita demonstratione nostrae sententiae, praesertim de
indignorum communicatione, opponere solet, refuta-
bimus.

Dicit ergo ille: Impossibile esse salutarem Christi spi-
ritum separari a carne eius. Sed spiritum non dari in-
dignis aut hypocritis, igitur nec carnem. Respondeo.

Sententia de separatione carnis, & spiritus longa ex-
plicatione indigeret, & hic eius sensus, quo ab istis cita-

tur, falsus est. Nam caro Christi in cruce & sepulchro
fuit inclusa sine Spiritu. Certè non efficax ibi fuit spiri-
tus. Sic Patres ante Christum habuerunt spiritum Chri-
sti, & nunc sancti angeli habent eum sine carne eius. Spi-
ritus Christi non debet separari etiam à diuinitate eius-
dem, cui quidem magis est coniunctus quàm humanitati
& tamen in multis locis, atq; adeo etiam in impijs est
sua quadam ratione diuinitas Christi, ubi non adest do-
tum Spiritus. Spiritus sanctus etiam non est separan-
dus à uerbo & Sacramentis, & tamen multi participã
de uerbo & Sacramentis, sine spiritu.

Spiritus spirat, ubi & quomodo uult, teste Domino.
Ille replet & instruit Bezeleel, ut artificiosè operetur
tabernaculum, Prophetat per Balaamum, Caipham &
illos, qui dicent in extremo die, Domine Domine, nonne
in nomine tuo prophetauimus, & multa miracula feci-
mus (quos negaret Caluinus percipere corpus Christi)
nec tamen eos efficit uerè pios. Sic uidemus Spiritũ non
tantum à corpore Domini, sed etiam à suis proprijs &
principalibus actionibus alicubi separari.

Ex hisce manifestum est, istud inuictum argumen-
tum Caluini nullius momenti esse. Sed, ut id eò clarius
appareat, sciamus non omnem sumptionem corporis
Christi salutarem esse, aut habere adiunctum saluificum
eius spiritum. Quod præclare Augustinus hisce uerbis
testatur: sed profectò est quidam modus manducandi il-
lam carnem, & bibendum illum sanguinem, quomodo
qui manducauerit & biberit, manet in Christo, & Chri-
stus

stus in eo. Non ergo quocunq; modo quisq; manducaue-
rit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet
in Christo & Christus in illo, sed certo quodam modo,
quem utiq; ipse uidebat, quando ista dicebat. Hacte-
nus ille.

Obseruemus hoc dictum non solum propter prædi-
ctum fundamentum Caluini, sed etiam, ut sciamus plu-
res esse comestiones corporis & sanguinis Domini. Et
deniq; propter sophisticas istorum citationes testimo-
niorum Augustini.

Caluinus perpetuò hactenus contendit, Metony-
miam esse in sacræ cœnæ uerbis, præsertim in uo-
ce CORPORIS, eò quòd, ut ipse solitus est sese
explicare, nomen rei signatæ, pro signo poneretur, uo-
luitq; esse eum sensum, ac si Christus dixisset: Hoc est
signum, figura aut symbolum corporis. Quam uocis hu-
ius corruptelam olim Oecolampadius præcipuè urgere
solitus est. At Beza contra Heshusium in plurimis locis
contendit expresse, tropum esse non in uoce CORPO-
RIS, sed in uerbo EST. Quàm preciosissimam gemmam
olim scripsit Cinglius, se reperisse in cuiusdam Bataui
sarcinula. Iam igitur manifestum est, eos sibi inuicem in
ipso statim fundamento contradicere, nempe quonam
modo uerba sacrosancti Testamenti filij Dei intelligen-
da sint, seu quisnam sit eorum uerus ac immotus sensus,
ubi fundamentum controuersie est, & de quo præci-
puè anguntur & laborant conscientie, ut postea ple-
nius dicetur.

Verum ego nunc istam eorum dissensionem, incertitudinem ac inconstantiam in exponendo sacro textu præteribo, paulò post accuratius de ea re acturus. Ac ante omnia sacrosanctum oraculum cœnæ Domini, asseram defensis contra ipsorum corruptelas istis duabus primariis uocibus, EST & CORPVS, monstraboq; ope filij Dei, eius uerba propriè ac in suo natiuo sensu accipienda esse, non ad istorum incertos tropos irabenda & peruertenda.

Propriè igitur & non figuratè accipiendam esse uocem corporis & sanguinis plurimis testimonijs uerbi Dei probari potest, ut. 1. Quod sequens textus (Quod pro uobis traditur, Qui pro uobis effunditur) necessario id efficit & euincit, ut ibi corpus uerum Christi, corpus ac sanguinem pro nobis in cruce datum intelligamus, nisi uelimus dicere istorum symbola, signa aut figuræ pro nobis passas esse.

2. Quod in altera specie aut parte habemus sanguinem testamenti, & testamentum in sanguine: Vbi uocem sanguinis propriè, & nequaquam figuratè, etiam ipsorum propria confessione in natiuo sensu retinenda est, certè pari iure aut conditione etiam uox corporis fruetur: Nisi quis eo uelit dementiæ erumpere, ut tantum umbris & figuris sacrosanctum hoc testamentum filij Dei peractum sancitumq; esse sentiat aut asserat.

3. Quod Paulus affirmat, fractionem panis esse participationem corporis, corporis inquit ille non signi corporis, nisi uelint aliqui dicere, se tantum de symbolis
signis

signis aut figuris. in sacra cœna participare)

4. Quod Paulus affirmat indignam sumptionem panis & uini esse reatum, & non dijudicationem aut temerariam participationem ipsius corporis & sanguinis Domini: Non dicit ille umbrarum, typorum aut symbolorum reatum, aut non dijudicationem.

Quod Epistola ad Heb. differens de sanguine fœderis ueteris ac noui, non umbram aut typum, sed realem essentiam per uocem sanguinis intelligit, sic & Iohannes affirmans, sanguinem adhuc testari de Christo, uerum ac realem non figuratum, aut adumbratum uel significatū sanguinem intelligit. Sed quoniam Beza contendit, non esse ullam disputationem, an uox corporis propriè accipiatur. Ad enim eos large concedere, Credamus sanè eis, & in hac quoq; parte eos proprius ad ueritatem accessisse sentiamus.

Reliquum igitur est, ut & illud probemus, CORPVS hîc ipsum naturale Christi corpus, in quo passus est & resurrexit, significare, non illud mysticū, quòd est Ecclesia, de cuius societate agitur Eph. 4. & 5. Quo semper isti huius Sacramenti communionem & uerba trahunt: Contendūt enim illi perpetuo & acriter, nullam aliam communionem sanciri in sacra cœna, præter eam, quæ Eph. 5. describitur. Nam inter alia sic Caluinus super illum locum scribit: Deniq; eam nostricum Christo unionem hic Paulus describit, cuius in sacra cœna nobis symbolum & pignus datur. Et mox: Ita ostendimus nullam nos in cœna representationē docere,

E 4 nisi

nisi cuius EFFECTVS et ueritas hic à Paulo prædicatur.

Verùm quòd alia sit in cæna communio & aliud corpus, quàm Ephe. 5. probatur non minus facile, quàm euidenter, tametsi etiam suprà satis id probauerim. Nam Christus testatur, se hic dare nobis illud ipsum corpus, quod pro nobis crucifigendum erat, & sanguinem, qui pro nobis erat fundendus. At illud mysticum Christi corpus de quo agitur Ephe. 4. & 5. Rom. 12. 1. Cor. 12 non patitur pro nobis. Sed contrà Paulus dicit se pati pro eo Coloss. 1. Illud est una persona cum Deo: Hoc non item. Illud uerè filius Dei. Hoc adoptiuè. Illud est de Spiritu sancto ab unica uirgine conceptum, & certo tempore editum: Hoc omnibus temporibus ex toto orbe terrarum collectum. Illud gloriosum. Hoc adhuc calamitosum: illud (ut isti contendunt) tantum in certo loco cæli. Hoc per totum orbem terrarum sparsum. Illud est ipsemet Dominus. Hoc tota Ecclesia. Illud sola diuinitas formauit, hoc Paulus dicit, etiam se formare, & omnes ueros Doctores ædificare. Sic tota scriptura & perpetuo tota Ecclesia distinxit corpus naturale à mystico.

Quare uelint nolint coguntur concedere de alio corpore Christi, & de alia comestione eius agi in cæna Domini, quàm Ephe. 4. & 5. Rom. 12. & 1. Cor. 12. & in similibus locis.

Nec obstat Emphasis uerborum, caro de carne & os de ossibus: Nam & uir cum uxore dicitur esse una caro, seu caro de carne, & os de ossibus (qua similitudine ibi Paulus hanc nostram mysticam cum Christo unionem explicat)

explicat) nihilominus aliud est corpus naturale uiri, aliud feminae, quae sicut antea fuerunt disiuncta, ita etiam per mortem aut diuortium diuelluntur.

Quod porro etiam uerbum EST, sit proprie et non pro significat figurate accipiendum, nec idem ualeant uerba Cœnæ, quod panis significat corpus, aut uinum significat sanguinem, ex sequentibus abundè constabit.

1. Ipsemet filius Dei unica ueritas in suo sacrosancto Testamento dicit: HOC EST CORPVS, cum bene potuisset dicere, Hoc significat. Quae est ergo ista audacia peruertere unici illius pastoris uerba, quasi uel non potuisset ipsemet clarè sua sensa exprimere, uel etiam studio suos heredes ac dilectam sponsam totam Ecclesiam in re tanti momenti ac in sua ultima hora decipere uoluisset.

2. Toties repetitur in scriptura, ista sacrosancta institutio, uel certè ei æquivalentes sententiæ ponuntur, nec tamen usquam ista gemma Bataui patefit, uel SIGNIFICAT pro EST substituitur: Cum is sit perpetuus mos Spiritus sancti, ut sicubi aliquid figurate dicit, mox id, præsertim si se occasio repetendi offerat, clarè exprimat.

3. Mox in altera specie in Matth. et Marco uertunt, omnes uersores, etiam Tigurini et Caluinus, excepto Beza, HIC est sanguis noui Testamenti, ubi certe EST nullo modo potest poni pro significat. Sed necessario substantialiter accipi debet. Quare nec in præceden-

ti specie aut parte. Quid enim sanguis Christi significaret, aut cuius rei demum typus esset.

4. Lucas & Paulus recitant uerba huius ipsius speciei, aut partis, Hoc poculum EST nouum Testamentum IN meo sanguine, id est, PER aut OB meum sanguinem, ubi nullo modo potest istius tropus in uerbo EST locum habere, quasi poculum significet sanguinem, non enim ibi poculum, aut potio cum uoce sanguinis. Sed cū Testamenti coniungitur. Non potest etiam poculum significare Testamentum. Nam poculum, id est, potio illa & comestio, unā cum adiunctis actionibus, rebus & promissionibus, est reuera illud præsens testamentum, aut scædus & non tantum significat illud. Quare cum hic EST nullo modo possit exponi per significat, nec in præcedenti quidem membro, cum dicitur, Hoc est corpus meum, poterit per id exponi.

5. Lucas habet, quòd poculum, id est, illa benedicta potio effundatur pro nobis. Vnde necessario sequitur illam potionem non esse tantum uinum, sed etiam reuera essentialiter esse ipsissimum sanguinem Domini, ut supra abundè monui. Quòd si illa potio reuera sanguis Domini est, non poterit tantum significat sanguinem in cælo inclusum.

6. Ostendi prolixè uerba ista, HIC est sanguis repetita esse à Christo ex ueteris scæderis sanctione, Vbi cum uerbum EST realiter aut essentialiter accipiatur, non significatiuè, necesse est & hic eodem modo accipi. Sequeretur alioqui firmiori re uetus scædus nouo firmari
Illud

Illud enim uero sanguine uictimæ Deo oblatae fuit sanctum, hoc esset umbra aut signum non res ipsa.

7. Monui aliquoties non frustra illam tam accuratam distinctionem partium Sacramenti toties à Spiritu sancto inculcari & separatim quidem pani adiungi corpus, uino uerò sanguinem: At si uerbum EST acciperetur tantum pro significat, & indicaret aliquas spirituales coniunctiones cum Christo, tum frustra esset prorsus illa tam sedula & tam constans distributio. Nam utrumque elementum perinde omnia spiritualia beneficia significat ac contestatur.

Clare Paulus dicit, panis fractio est participatio corporis. Quomodo potest hic EST accipi pro significat? Aut fortè dicent, in uerbis cænæ EST indicare corpus & sanguinem, HIC uerò tantum corporis participationem, ut ita eis istud miserum EST nihil non significare, & in omnes rerum species, pro ipsorum arbitrio, sese uertere cogatur.

9. 1. Iohan. 5. Epistola ad Hebræos, & ipsum sanctum Christi Testamentum affirmant, sanguinem confirmare fœdus inter nos & Deum per Christum: Ideo uocant sanguinem Testamenti aut fœderis illius. Item Christum uenisse per sanguinem: & deniq; sanguinem de eo in terra testari. Igitur præsens ibi adest sanguis & non significatur aut figuratur absens in cælo, Quare oportet in uerbis cænæ uerbū EST propriè accipi, et non pro significat. Præsenti ac ibi distributo sanguine filij testatur scriptura sanciri tā sacrosanctū fœdus, non eius umbra
typo

typo aut symbolo. Nam quod Caluinus dicit spirituali
potione sanguinis confirmari hoc fœdus, satis supra est
refutatum.

10. Deniq; Paulus 1. Cor. 11. asserit indignam aut abu-
sum panis & uini esse reatum & non dijudicationem
seu indiscretam sumptionem ipsius corporis & sangui-
nis Domini. An non hisce uerbis clarè affirmat Paulus,
illa data in cibum & potum esse uerè corpus ac sangui-
nem Domini, eorumq; perceptionem esse corporis &
sanguinis perceptionem? Quare uult Paulus uerè, reali-
ter aut essentialiter EST in uerbis sacrae cœnae accipi,
non autem tantum significatiuè, sicut isti uolunt. Ex his-
ce probationibus credo perspicuè liquere figuram aut
tropum nec in uoce CORPVS aut sanguis, nec in uerbo
EST admitti posse aut debere, quandoquidem hisce cor-
ruptelis multa ac manifesta uerbi Dei testimonia euiden-
ter & potenter repugnant.

Verùm, ut finem huic scripto imponam, refutabo
adhuc unum aut alterum eorum sophisma.

Contra naturam Physici corporis est, ut sit
simul in pluribus locis: Corpus Christi in cœlo Cristalli-
no aut empyreo alicubi sedet ad dexteram patris. Ergo
non potest esse in sacra cœna. Respondeo. Sacra-
menta non sunt alligata ad phyzicas, mathematicas aut
Aristotelicas regulas, sed ad arbitrium & uerbum Dei.
2. Tunc Christus nondum ascenderat in cœlum, & in u-
no tantum loco cœna celebrabatur. Si igitur tunc physi-
ca & ascensio non impediuit præsentiā corporis &
sanguinis,

sanguinis, ne nunc quidem impedit. 3. Contra physicam
etiam est, ut corpus naturale hominis penetret lapi-
dem, uolet sursum, sedeat ad dexteram uiuentis Dei: Et
tamen omnia hæc credenda sunt, quia à Deo affirmantur.
Ipsimet affirmant in sua consensione, Christum ascen-
disse super omnes cælos, ubi nullus sit locus. Hoc etiam
contrà physicam est, ut corpus sit non in loco.

Denuq; hoc argumentum magis contra ipsos, quàm
contrà nos est, quia Deus & eius dextera ubique est,
Quia sessio ad dexteram omnipotentiam significat, in
qua si regnat corpus Christi, non curat regulas Aristote-
lis aut Euclidis de corpore Physico & Mathematico.
Consideretur hic illud quoq; quòd pronomen Hoc & hic
τοῦτο rem ibi præsentem, non in cælo alicubi longissi-
mè remotam, significet. Quare affirmauit tunc Domi-
nus, & nunc adhuc quotidie in sacra cæna affirmat ibi
præsens esse corpus ac sanguinem.

Verum cum ipsimet in excusanda illa sua mystica
communionem corporis Christi ad omnipotentiam confu-
giant, ut suprâ ex Caluino audiimus, cur non licet no-
bis eadem solutione uti?

Sicut Christus ascendit: ita & descendet, Act. 1. Item
Paulus dicit, donec ueniat, Ergo iam non adest eius cor-
pus, sed sola diuinitas? Respondeo.

Plures possunt esse præsentie, quàm tantum istæ
duæ, secundum solam diuinitatem, & secundum uisibi-
lem humanitatem in Maiestate uenientem. Nam Chri-
stus adhuc duas alias ponit Luc. 24. cum inquit, Hæc lo-
catus

entus sum uobis, cum adhuc essem uobiscum. Indicat enim tum illam carnalem presentiam, qua ante passionem cum eis uersatus fuerat, sic negat se tunc cum eis esset tum illam nouam post resurrectionem, quæ tamen adhuc plurimum differt ab ea, qua in extrema die gloriosus adueniet. Habet ergo Christus plures rationes presentie, quas nos in nostra Arithmetica non reperimus. Et possunt uerba, donec ueniat, & similes locutiones ad aliquam illarum alludere, nec tamen alias tollere. Ingens ergo audacia est, credere se omnes modos presentie, aut absentie Christi planè perspectos habere, & ideo perspicuum eius testamentum conari euertere.

Ipsemet Christus Iohan. 6. dicit carnem non prodesse quicquam, Respondeo. Quid igitur tandem prodest, si caro, quæ datur pro mundi uita, & cuius uibice ac sanguine sumamur, non prodest?

At Christus ibi spiritualem commestionem carnis suæ per fidem commendat. Respondeo. Nihil ibi agitur de Sacramento cœnæ aut alio. Cur ergo ille textus huc trahitur? Etiam si ibi Dominus doceat percipere spiritualem fructum, ex carne & passione sua per fidem, non tamen propterea illam sacramentalem manducationem corporis tollit, quàm postea tam disertè instituit in sacra sua cœna, in confirmationem noui fœderis ac Testamenti.

Omniū Sacramentorum eadem est ratio: Sed in alijs non datur corpus aut sanguis Christi, ita ut uos hic dari asseritis. Ergo nec hic. Respondeo. Eadem quidem est alia

est aliquomodo ratio, quòd ad causas efficientes & finales, sed non quoad materiales ac formales: Diuersa enim elementa & formæ sunt in alijs ac alijs Sacramentis, quòd manifestum est. Pertinet autem corpus & sanguis in hoc Sacramento ad causam materiale. Falsa ergo est maior, atq; ideo etiam conclusio.

Vosmet facitis aliquam figuram in uerbis Testamenti Christi, Dicitis enim dari corpus cum pane aut in pane, aut sub pane &c. Ergo est quædam synechdoche. Cur ergo nobis pari iure non liceret aliquam figuram in eisdem constituere. Respondeo. Quia uestra figura clarè peruertit ueram ac natiuam significationem uerborum Christi, Hoc est corpus meum, et simul tollit præsentiam corporis: Ac synechdoche (si maximè eam ponere mus) non tollit aut mutat natiuam significationem uerborum Christi, non etiam præsentiam corporis tollit, quòd est ingens discrimen. Verùm non concedimus esse in ipsis Christi uerbis. Hoc est corpus meum, figuram, sed in hisce aliqui concedunt synechdochen, si dicimus panis est corpus, unum est sanguis, tametsi alij malint dicere esse inusitatam & Sacramentalem prædicationem, quòd non improbo.

Nam cum Christus dicit, Hoc est corpus, Hic est sanguis meus, tametsi in res illas uisibiles digitum dirigat, non tamen propriissime de pane loquitur, aut solum panem et uinum indicat, aut quidnam illa essent explicat. Ea enim adesse et quid essent sine omni iudicatione uidebant et norant Apostoli: Sed ipse illud longè præstantius
ac præ

ac preciosius monstrat, quod simul cum pane & uino
dabat, quodq; illi sine admonitione filij Dei ignoras-
sent.

Nec hoc pro quodam figmento meae audaciae accipi
debet: Nam ipsimet Euangelistae clarè testantur, Domi-
num propriè indicasse ipsum sanguinem & dixisse, Hic
sanguis est noui Testamenti.

Porro etsi Lucas nominet poculum, tamen Christum
propriè monstrasse ipsum sanguinem clarè indicat, dū
dicit, illud monstratum pro nobis esse effusum, quod nec
poculo nec uino, sed soli sanguini Christi propriè con-
uenit.

Quare praedicatum, pro uobis effunditur, abundè
docet, quodnam subiectum Christus uerè ac propriè
monstrauerit, de quo loco supra abundè disserui.

Huc facit, quod etiam in ueteri Testamento, unde
haec institutio petita est pronomen monstrat ipsum
sanguinem non crateres, in quibus sanguis ille contine-
batur.

Cum autem constet, Dominum monstrasse propriè
ipsum sanguinem, sequitur etiam in priori parte mon-
strasse propriè corpus, non autem panem unà datum.

Sed expendamus sane naturam sermonis aliquantò
diligentius, propositis ex communi uita utcunq; conue-
nientibus exemplis. Est enim oratio propria & non fi-
gurata, si monstrando candens ferrum, dicam, hoc est
ignis, hoc est ferrum, aut si habens ante me uas, dicam,
hoc est uinum, hoc est oleū, hoc est cereuisia aut aqua.

Nam

Nam etiamsi digitum porrigam erga uas, sicut ibi Dominus illas uisibiles res indicasse uisus est, nec tu externis oculis aliud, quam uas, cernere possis: tamen te animo non externum lignum (quod quid sit etiam sine mea indicatione nosti) sed id, quod intus est, intueri uolo, ualeatq; idem hic sermo, ac si plenius dicerem: Hic liquor, qui est in hoc dolio, est uinum, oleum, cereuisia aut aqua. Talis igitur oratio caret omni figura: Sed si porro uelim dicere, hoc ferrum est ignis, aut hoc uas est uinum, tum inesset quaedam synecdoche. Nam ibi ferrum ac uas non tantum se, sed et adiuncta aut contenta significaret.

Quò autem res hæc aliquantò melius percipiatur, proponam regulam cum exemplis, quam tamen piorum et intelligentium iudicio subijcio.

Quandocunque plures res sunt arctissime inter sese coniunctæ, non tamen prorsus confusæ, possumus uerè propriè monstrato eo, quasi toto singularum illarum rerum nomina, aut prædicata ei tribuere, ut si de homine digito monstrato diceremus, Hoc est caro, hoc est sanguis, hoc sunt ossa, Hoc est anima rationalis, hoc est corpus, aut monstrato muro, hoc est calx, hoc est lapis. Nã etsi tu nil nisi cutem externis oculis cernere possis, tamen ego monstrando uolo te oculis intellectus intueri carnes aut sanguinem, ossa aut animam.

Hic sermo meo iudicio esset proprius, sed si dicerem, caro est os aut sanguis, aut anima, aut homo est caro, tum sanè esset oratio minus propria, Fateor tamen mi-

E nus

hinc hac figuratam esse illam orationem, panis est corpus, ob sacramentalem connexionem.

Sumamus exempla rerum sacrarum, quæ aliquanto erunt aptiora, si monstrata columba Ioha. 1. aut flamulis super capita Apostolorum. Acto. 2. dicerem, Hoc est Spiritus sanctus uerè ac propriè dicerem. Nam ibi reuera IN, SVB aut CVM illa specie columbæ fuit Spiritus S. sed si uellem dicere, columba est Spiritus, linguæ igneæ sunt Spiritus sancti, esset aliquid figuratum. Aut si Heliseus, monstratis famulo illis flammis equitibus, diceret, Hoc sunt Angeli magis propriè loqueretur, quàm si simpliciter affirmaret, illas ipsas euuidas species flammarum esse substantialiter ipsosmet angelos Dei.

Quare in uerbis Testamenti Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, negamus ullam figuram esse: Sed in hisce inde sumptis, quibus aliquomodo Christi sententiam exprimere conamur, panis est corpus, aut uinum est sanguis, aliqui quiddam quasi Synechdochicum esse arbitrantur, alij malunt dicere, esse inusitatam & sacramentalem prædicationem. Ideo cogimur aut conamur eam explicare istis iam olim in Ecclesia usitatatis circumlocutionibus IN CVM aut SVB pane est & sumitur corpus Christi.

Admodum odiose instant aduersarij, multa queritantes & responsantes, quomodo potest uerum corpus in multis locis esse? Quomodo autem ista participatio peragitur? Quomodo istud corpus, postquam ore perceptum est, mutatur, & quo tandem transit? & alia huiusmodi,

eiusmodi, carnalibus oculis & rationi absurda ingerunt.

Quibus in promptu esset respondere, illud patrum: quod uox: **QVOMODO**, sic uox Iudæorum & incredulitatis, Item illud uerissimum ac firmissimum, quod hic non sint Physicæ, sed Sacramentales actiones: Vbi non ita omnia sese inuicem consequantur, aut omnes carnales circumstantiæ concurrant, sicut nostra caro stultè, ex similitudine & proprietate rerum naturalium, physicumq; ordinem sequentium, ratiocinantur: sed tamen nunc omittis hisce, ipsorum præceptoris ore eis respondeamus, adscriptis eius uerbis.

Et sanè frustra se homines macerabunt, si carnis suæ sensu, comprehendere modum & rationem studeant. Hic enim Deus immensam spiritus sui potentiam exercit. Quare præposterè sunt, qui nihilo plus in hac re concedunt, quàm ingenij sui **MODULO** consecuti fuerint. Cum nobis in sacra cœna carnem & sanguinem Christi exhiberi negant, **MODVM** inquirunt definias, aut **NON** persuadebis. At qui ego mysterij **ALTITVDINE**, in stuporem abripior. Neq; uero me pudet admiratione meâ **IGNORANTIAM** cum Paulo fateri. Quanto enim est id **SATIVS**, quàm extenuare carnis meæ sensu, quòd Paulus **ALTVM** mysterium esse pronunciat? Idq; docet ipsa ratio: Quicquid enim **SUPERNATVRALE** est, id profectò **CAPTVM** ingenij nostri superat. Proinde magis laborandum, ut Christum sentiamus potius in nobis uiuentem, quàm ut communicationis **RATIO** nobis pateat. Eant ergo iam eius discipuli, & modum, rationemq;

nemq; ac omnes phisicas circumstantias tantæ rei ex nobis scrutari conentur, quas si eis ante oculos depingere non possumus, mox clament, nos aut incerta aut absurda docere.

Non est magni momenti iste articulus. Respondeo. Cur ergo illi nullū fermè magis urgent, quàm hunc, nosq; eis non assentientes, ut Papistas accusant? sed maximi profectò momenti est, retinere Testamentum Christi in corruptum, in suo natiuo sensu. Præterea omnis ille sumit indignè sibi in exitium, qui Christo dicenti, Accipe & comede, Hoc est corpus meum, contra in suo corde respondet, non est uerum, Tu mihi symbolum, signum aut figuram tui corporis offers.

Necesse est aut Metonymiam concedi in uerbis cœnæ Domini, aut multa absurda admitti. Respondeo. Absurdi nihil sequitur contra articulos fidei. Rationis autem absurda nō curamus. Sed inuerte contra eos: Quid enim absurdius, quàm contradictoria in tantæ re dicere: quòd illi faciunt.

Nam, ut taceam ipsorum clara dicta, quorum non pauca D. Tilemannus Hesshusius præsertim in proxima responsione citauit: Quibus liquidò ostendit eos ueram præsentiam corporis in cœna negare, crebro illi disertè & deniq; importunè contendunt, in uerbis cœnæ esse Metonymiam, ac poni nomen rei signatæ pro signo, aut certè EST pro significat, ut sit hic sensus, hoc est signum corporis ac sanguinis mei: Aut, Hoc significat. meum corpus ac sanguinem. Hæc lectio aut peruersio Testamenti Domini,

Domini, manifestè tantum signi præsentiam affirmat, et corporis omittit, atq; ita prorsus tollit. Neq; enim quicquam credere aut confingere debemus, non addere aut diminuere de ullo uerbo Dei, nedum de tam sacrosancto Testamento Domini, quod ipsemet disertè non asseruit. At secundum istam transfigurationem textus, nusquam affirmat Dominus, se ibi tradere corpus. Tollit igitur manifestè Metonymia, præsentiam corporis Christi.

Rursus contra idem contendunt uehementissimè, se ueram ac substantialem ueri ac realis corporis Christi præsentiam, & exhibitionem in sacra cœna statuere. Quin etiam amplius Caluinus eam uult, ex ipsismet uerbis cœnæ probare. Sic enim super ea uerba 1. Cor. 11. scribit. Præterea audio, quid uerba sonent. Neq; enim mortis tantum ac resurrectionis suæ beneficium nobis offerre Christus, sed corpus IPSVM, in QVO passus est ac resurrexit. Concludo REALITER, (ut uulgo loquuntur) hoc est, VERE nobis dari in cœna corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem. Loquor uulgare more, sed intelligo SUBSTANTIAM corporis Christi &c. Hactenus ille.

Hic uult audiri, quid ipsa uerba Christi natiuo sono sonent, de exhibitione reali corporis Christi. Alibi totum eum natiuum sonum negligit, et suæ Metonymiæ sonum uult audiri, qui dicit, Hoc est signum aut symbolum corporis mei.

Manifestissima igitur & palpatissima contradictio est audire, quid uerba cœnæ suo uero sono sonent: Econ-

tra, eadem per Metonymiam, in figuratum, et longe
aliud sonum transformare: Ponere ueram ac realem
praesentiam ac exhibitionem corporis Christi, hic in ter-
ris in sacra cena: Et per Metonymiam tollere, ac clama-
re, corpus Christi esse tantum in uno loco caeli inclu-
sum, & non posse hic in terris, praesertim in multis sa-
cris caenis esse ac exhiberi. Quid hac contradictione ab-
surdus.

Obijciunt illi contra, at non ponimus nuda signa, sed
una etiam res signatas. Respondeo. Non quaerimus, quid
uos ponatis, sed quis sit uerus sensus aut sonus uerborum
Domini. Non amplius respiciendum est in uestra effu-
gia, aut elusiones iustarum reprehensionum, sed in ipsius
sacrosancti testamenti uerum sensum, & ipsius Christi
affirmationem: Qui aut affirmat se nobis dare suum cor-
pus, ut uerba ipsa natiuo sono sonant, & nos Dominum
dicentem intelligimus: Aut contra affirmat, se signum,
symbolum, figuram aut typum sui corporis exhibere, ut
uos eius sacrosanctum testamentum, per uestras figuras
transformatis.

Hic inquam, nos Christiana pietas iubet inherere ue-
ro sensui Domini (neglectis omnibus humanis addita-
mentis) siue is sit, quem uerba sonant, & nos credimus,
siue ille, quem uestra Metonymia nobis pro natiuo obtru-
dere conatur, nec omnino quicquam ultra eam commi-
nisci, addere aut adimere. Omnino oportet religiose al-
terutri sensui testamenti, nulla ratione habita huma-
rum glossarum aut commentariorum, credere, aut huic
natiuo

natiuo affirmanti, exhibitionem corporis, aut illi istorum pro corpore signum, symbolum aut typum substitu-
enti. Quare necessario sibi met contradicunt, dum iam
clamant, Dominum nobis suum uerum corpus tradere,
iam contra negant, eum uerborum ipsius sensum esse,
quod tradat ipsum corpus, sed dicat, Hoc est signum cor-
poris mei. Verum de necessitate habendi ueri ac certi
sensus uerborum Testamenti Christi etiam postea age-
mus.

At obijciunt illi, signa DEI non solent esse nuda, aut
sola. Respondeo. Idem iterum: Non licet aliquid, in testa-
mento Christi, ultra & extra uerum sensum eius uerbo-
rum, certo affirmare aut negare: Deinde, quam multa
signa sunt in sacris literis, qui non presentes res exhibent,
sed tantum uenturas significant? Ipsamet Cæna, an
non est memoriale, signum & symbolum passionis Chri-
sti? Nam igitur ibi quotidie Christus offertur & crucifi-
gitur? Quare irritum est hoc istorum sophisma aut pro-
fugium.

Absurdissima ergo contradictione & tollunt & as-
serunt presentiam corporis ac sanguinis Domini in
cæna.

Aristoteles & alij eruditi dicunt, Tangere uel tangi
quicquid potest, hoc corpus est, sed in cæna nihil aliud,
quàm panem & uinum sentimus. Igitur non est ibi uerum
corpus aut sanguis. Respondi supra, nos in Sacramentis
regulas Aristotelis & Euclidis non curare.

Verum ego illis contra, unam regulam Aristotelis

F 4

⊙ EHA

¶ Euclidis proferam, quom ipsi admittere etiam in Theologia cogentur, quæ talis est: In controuersijs non clariora ac certiora, ex obscurioribus probanda aut confutanda sunt, sed contra obscuriora & incertiora ex notioribus & euidentioribus. Hac una lege, tanquam Delphico gladio omnes aduersariorum argutias, possis potenter dissoluere & concidere.

Quid enim dici aut etiam excogitari potest dilucidius, euidentius ac ualidius ipsis uerbis filij Dei, clarè & perspicuè dicentis, affirmantis & ingeminantis: Hoc, hoc, quod uobis do, est corpus meum, illud ipsum, inquã, corpus, quod pro uobis iam tradetur: Hoc hoc, quod uobis posteriore loco do, est sanguis, quo sanguine nunc quidem sancio, nouum Testamentum aut fœdus uobiscum: Mox autem eundem sanguinem pro uobis in ara crucis in remissionem peccatorum effundam. Quid inquam excogitari potest clarius, uerius, firmitus, hisce uerbis testamenti filij Dei, qui solus uerè est uia, ueritas & uita.

Huius sacrosancti testamenti perspicuitas, ac certitudo uel inde abundè elucescit, quòd nulla ratione à tot acutissimis hominibus expugnari, tam longo tempore potuit, quodq; ipsimet aduersarij omni studio deuitant eius ad suam sententiam plenam solidamq; applicationem. Vix uno illud aut altero uerbulo attingunt & mox, tanquam si esset candens ferrum, de manibus proijciunt.

At contrà, quid obscurius, inualidius & incertius illis tot

is tot uanissimis ratiocinatiunculis, aut potius malè con-
sulis sophismatibus, quæ aduersarij ad evertendum testa-
mentum filij Dei subinde comminiscuntur. Quarum
plurimas prioribus usitatissimas, etiam ipsi recentiores
antagonistæ aut rident, aut etiam refutant.

Zuuinglius, qui gloriatur, se illam preciosam margari-
tam, EST pro significat, in cuiusdam Bataui sarcinula
repperisse, confitetur in suo libro, titulo Subsidium, se per
multos dies inopem fuisse probationum, quibus eam in-
terpretationem confirmaret, nec tamen interea parum
anxium de illis fuisse, deniq; sibi per somnium apparu-
isse quodpiam spectrum, de quo ipsemet clarè scribit, se
dubitare an fuerit atrum albumue, & suppeditasse testi-
monium Exod. 12. Agnus est pascha, id est, significat pa-
scha, de quo mox sequenti die sit cum approbatione om-
nium concionatus. Vnde apparet eos non ex scriptura
hanc sententiam, de Sacramento hausisse, sed alibi reper-
tam, atq; adeo à spectris suppeditatam, in sacrosanctum
Christi testamentum importasse. Prorsus sic Moneta-
rius, autor rusticæ seditiois, gloriatus fuerat, sibi quen-
dam in somnis apparuisse tradentem gladium Gideonis
ad reformandos & castigandos principes Germaniæ.

Istud igitur fanaticum commentum, EST pro signifi-
cat, urget & Beza, ac istum ipsum locum Exod. 12 &
quædam similia, ut sunt, Arca est Deus, Agnus est pa-
scha, columba est spiritus, in quibus omnibus dictis, istis
hominibus EST ualet idem, quod significat. Sed nullum
prorsus istorum dictorum ita ad uerbum in sacris lite-

vis reperitur. Quod eis iam sæpius ab alijs satis est mon-
stratum.

Sic nec locus Pauli 1. Corint. 10. comitans, petra erat
Christus, potest pro significat exponi. Nam clarè Pau-
lus non de petra mortua, sed de petra eos comitante lo-
quitur. Christus est uitis, etiam non habet tropū in uer-
bo EST, sed in VITE.

Illo uno maxime confidunt: Circumcisio EST fœdus.
Quare etiam regulam inde fabricant, quod in Sacra-
mentalibus loquutionibus EST pro significat ponatur.
Verum nusquam planè est in scriptura ista loquutio:
Circumcisio EST fœdus. Fingunt igitur ipsi eam suo arbi-
tratu. Ut autem esset, tamen non similiter in cœna dici-
tur: panis est fœdus. Quare hinc, EST idem ualere in sa-
cra cœna, quod significat, nunquam probabunt.

Verum quidem est, circumcisionem in Genesi uoca-
ri fœdus, uocari etiam signum fœderis, sed loquutio ista
ab eis citata, circumcisio EST fœdus non extat. Verum
sciendum est, quod uox circumcisio alias latius accipia-
tur, pro tota illa actione aut cæremonia circumcisionis:
Alias autem pro sola præputij abscissione. Cum solam ab-
scissionem significat, tum est & signum aut nota simul et
pars fœderis. Cum autem totam illam actionem, aut cæ-
remoniam, tum est ipsissimum fœdus.

Sic possemus dicere & de nostro Baptismo, quod a-
liàs, solam illam lotionem, aut immersionem indicet, &
tunc est & nota & pars Sacramenti: Aliàs totam illam
actionem, ut mandatum DEI de Baptismo, nostram pro-
fessionem,

sessionem, precationem, immersionem, cum recitatione
uerborum & promissionum. Hæc tota actio nunc à no-
bis uocatur, & est uerè non significatiuè fædus. Tales
partes actionis aut cæremoniæ, haud dubiè fuerunt &
in circumcissione, fuitq; illa tota actio, nomine circumci-
sionis notata uerè & non significatiuè fædus.

Hinc ergo manifestum est, istos homines ex incertis,
uel potius à sese confictis phrasibus, suam incertissimam,
atq; adeo falsissimam opinionem frustra probare cona-
ri, atq; ita hoc ipso suam argumentorum & testimonio-
rum inoptiam causæq; falsitatem confiteri.

E Vulgauerat olim optimus ac doctissimus uir Ioa-
chimus Vuest phalus farraginem quandam diuer-
sarum et contrariarum interpretationum testa-
menti filij Dei, quarum alij istorum alias nobis, ut certissi-
mas, obtrudere, nosq; à sincero ac genuino eius sensu ab-
ducere conantur. Eandem etiam olim, ut euidentis iudi-
cium incertæ, inconstantis ac fluctuantis, & deniq; sibi-
met repugnantis istorum opinionis, Luth. primæ memo-
riæ in suis scriptis Ecclesiæ DEI expendendam, & de-
testandam proposuerat.

Sed responderunt illi nihil referre, quoniam modo
ipsum sacrosanctum Testamentum intelligant aut in-
terpretentur, quandoquidem in summa conuenirent:
Tametsi nec id quidem sit uerum, quòd per omnia in
summa rei consentiant, ut ex prius citatis Caluini re-
prehensionibus Zuuinglianorum & aliorum liquido pa-
tuit.

Sic

Sic & Caluinus, cum antea maluerit Metonymiam in uoce CORPVS & SANGVIS collocare, & nunc uideat Bezam feliciter suam opinionem tueri ponendo tropum in EST, legem aut priuilegium quoddam pro libitu in sacro Testamento figuris ludendi sibi suisq; condat inquit.

Etsi autem in hisce uerbis NONNULLA est diuersitas, panis est signum corporis, uel figura, uel symbolum: uel panis significat corpus: uel Metaphorica, uel Metonymica, uel Synecdochia est appellatio: de summa tamen rei optimè conuenit, ut putidè nugentur Vuestphalus & Hesshusius, nodum in scirpo quærentes.

Verum non ita sese res habet, nec putidè nugantur, aut nodum in scirpo quærent, qui de hac re eos accusant: Non enim de eo præcipuè Ecclesia Dei sollicita est, in qua forma aut scopo aliqui homunciones conueniant, aut non, sicut omnes impij in eo bellè conueniunt, quod sint aduersarij Christi: Sed de eo, quænam uerè sit uoluntas ac mens Dei, & quæ sit uerè genuina sententia sacrosancti Testamenti aut fœderis, cum Deo, per eius dilectum filium nobiscum sanciti, quo ibi uerum salutarèq; sensum sequi, & falsum ac perniciosum deuitare possit.

Audite igitur quid à uobis postuletur, & de qua re uos, omnes Christiani compellent. Filius moriturus condat Testamentum: Nos omnes credentes in eum, sumus heredes Dei, & cohæredes filij ipsius. Ad nos pertinet istud sacrosanctum testamentum. Id nos oportet ita
uerè

uerè ac solidè & sine omni dubitatione intelligere, ut
nulla planè uocula in ea nos lateat aut fugiat, utq; eo sa-
lutariter uti possimus, & nor nobismet inde exitiū hau-
riamus, unde uita petenda erat.

Iam uerò uos nobis aufertis & damnatis eum sen-
sum, quem ipsa uerba Domini ac seruatoris nostri, suo
uero, genuino ac natiuo sono, aut significatione nobis
subministrant. Quod perinde planè est, ac si nobis to-
tum illud sacrum diploma eternorum bonorum aufer-
retis. Nam idem prorsus est scriptum aut instrumentum
uero, certo ac constanti sensu carens, ac nullum scriptū
aut instrumentum. Quid enim mihi scriptum aut ser-
mo, sine certo, constanti ac solido sensu? Nunc igitur se-
rio à uobis flagitamus, ut quoniam testamentum Chri-
sti euertistis, adimendo ac damnando natiuum ac uerbis
propriū sensum, nobis alium ueriores, firmiorem, ac
saniores sensum aut sententiam, ita solidè ac firmiter
proponatis, ut liquidò monstretis, in qua tandem uoce
ista uestra figura hæreat, & ubi nos à proprietate uer-
borum tam sacrosancti fœderis discedere oporteat, aut
non oporteat. Quandoquidè enim Ecclesiam à proprio
& natiuo sensu uerborum sacrosancti testamenti filij
Dei, qui in omnibus linguis maximè proprius, maximè
certus minimeq; fallax haberi solet, abstrahitis, necesse
est uos aliquem ueriores pro illo cœtui Dei in manus
dare. Sicut Luth. piæ memoriæ in maiore confessione,
multum hanc regulam contra Zuuinglianos inculcat.
Quod qui alicuius loci naturalem sensum falsum esse
uult

uult probare, teneatur alium uerum ac infallibilem non tantum proponere, sed & liquidò demonstrare ac confirmare. Certè enim boni medici est, non tantum urere ac secare, sed etiam sanare, & quòd deest bonis rebus ac qualitatibus, supplere ac in integrum restituere.

Audite, inquam, igitur boni uiri, fides & conscientia (uti uulgò dicitur) locum minimè patiuntur. Iussi sumus seuerissime à cœlesti patre, dilectum eius filium, unicum Seruatorem ac præceptorem audire. Scimus etiam eum non frustrà aut temerè illa uerba in tam sacrosancto Testamento effudisse, nec nobis securo, ociosoue animo ita contemptim transilienda esse, sed, (sicut ipse præcipit) diligenter singula scrutanda esse, quia citius cœlum & terra transibunt, quàm unum eius uerbum. Vulgò dici solet, principum literas bis terq; relegendas & singula uerba expendenda esse: At hic habemus regis regum & domini dominantium Testamentum de nostra æterna salute. Singula ergo eius uerba tanti momenti esse apud nos debent, ut nobis cœlo ac terra maiora esse uideantur.

Agite ergo præstare ordine hæc sequentia ad instaurationem Testamenti omnino extremè necessaria: Quorum si uel unum neglexeritis, hesitantes conscientias incertiores reddetis, quàm antea fuerint.

Primum manifestè perspicueq; ostendite natium, proprium aut usitatum sensum sacrosancti huius Testamenti, quem hætenus Ecclesia retinuit, & nos retinere cupimus, falsum esse,

Deinde

Deinde proponite aliam ueram, salutarem ac immo-
tam sententiam aut intellectum istius caelestis diploma-
tis, ipsi textui uerbisq; conuenientem.

Tertiò, propius ad ipsa uerba accedite, et liquidò o-
stendite, quænam uerba in tam sancto fœdere propriè
ac in suo natiuo sensu, & quæ figuratè in peregrino, idq;
per quam figuram, & in qua peregrina significatione
accipi debeant.

Quartò diligenter solideq; concinnatè & conferva-
minatè illas iam à uobis immutatas, aut in alias figur as
transmutatas & nouatas uoces, cum alijs propriè intel-
lectis, ne quid in illo tremendo oraculo lacerum, man-
cum aut hiulcum, non apte alijs coherens, aut monstro-
sum relinquatur, sed omnia concinne, uerè, solideq; cohæ-
reant ac consonent.

Postremò, hasce omnes uestras fabricatione, aut ope-
rationes in recudendo tam præcioso κεινάλω adiman-
tinis clauis uerbi ac testimoniorum DEI nobis consoli-
date ac indissolubiles reddite. Harum quinque rerum
aut partium, si ullam ommiseritis, uerum sensum testa-
menti piorumq; conscientias incertas dubiasq; relin-
quetis.

Nam, si neglecta accurata inspectione testimoniorum
Dei, temere tantum humanas pithanologias ac uerisimè-
litudines, & uestros Rhetorculorum flosculos, auriumq;
blandimentum tanta re sequemur, pessimè hic erga cōsci-
entiã propriam Satanaeq; tentationes, & in extremo iu-
dicio erga filium Dei de ista sacrilega Testamenti sui fal-
satione

satione seuerissimè rationes repositentem, consistemus
Hoc ab illis iam annis 40. serio nostri doctores ac Eccle-
siæ flagitauerunt: uerum nunquam quicquam tale impe-
trare potuerunt, sicut etiam eis præstare prorsus est im-
possibile. Quin etiam regulam, legem, aut priuile-
gium quoddam sibi istos homines condidisse, ut nihil re-
ferat, quomodo uerba cænæ interpretentur, sibiq; id pro-
hibitu liceat, ex antesignani ipsorum ore modo audiui-
mus. At tu Christiane lector, adhære immota fide e-
uidenti et solidissimæ ueritati filij Dei, hocq; inexpugna-
bile scutum omnibus ignitis telis ac machinis aduersario-
rum confidenter oppone, & hunc uerbi, aut sacri testa-
menti eius textum, ueluti acutissimum, fulgentem, anci-
pitemq; gladium in eorum sophismata, ora, oculos, cor-
da & conscientias indefinenter uibrato. Sic demum eos
feliciter confodies, & uictor euades.

Dominus Iesus Rex & Sacerdos, frater ac caput, Do-
minus ac Deus noster, qui ad hoc ipsum cœlitus à patre
missus est, ut mediator existens, nouum ac uerè sacro-
sanctum fœdus inter nos ac eum suo preciosissimo san-
guine ac corpore utriq; parti oblato sanciret, nos suos
fratres ac coheredes, & suum hoc Testamentum aut fœ-
dus, contra omnes corruptelas ac deprauationes huma-
næ & Diabolicæ astutiæ, clementer conseruet indissolu-
bile, incolume & incontaminatum, ad gloriam no-
minis sui & Ecclesiæ utilitatem propter miseri-
cordiam ac ueritatem suam, Amen.

Vrsellis excudebat Nicolaus Henricus.

155.003


AB 155.003

La
e
a.
102
est
lin.
tur
ento

ULB Halle 3
004 851 218





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



IS
 E SA
 TESTA
 su, con,

AM
 M.

inis licet Tea
 no reijcit aut
 amentum si

iudicium
 ens Christo di
 sumit indiga

III.

